The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark
MALPIGHI, M.

66027/C

XVIII 7

MARCELLI
MALPIGHII
Conſultationum Medicinalium
CENTURIA PRIMA,

Quam in gratiam Clinicorum evulgat

HIERONYMUS GASPARI,

Medicus, & Philoſ. Veronenſis,

ET

ILLUSTRISS. & EXCELLENTISS. D. D.

JO: FRANCISCO MAUROCENO
DIVI MARCI EQUITI,

ET

Patavini Archilycei Moderatori Sapientiſſimo

D. D. D.

ON·MEDICAL SOCIETY

PATAVII, ex Typographia Seminarii. MDCCXIII.

Apud Jo: Manfrè, *Superiorum permiſſu, ac Privilegio.*

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo D.

JO: FRANCISCO MAUROCENO DIVI MARCI EQUITI,

ET

Patavini Archilycei Moderatori Sapientiſſimo.

CUm multa ſint hoc ſæculo Medicinam profitentibus parata convitia, SENATOR AMPLISSIME, ſive antiquorum auctorum, ſive recentiorum ſe dederint di-

ſciplinæ, ſæpe mecum habitans cogitavi, utram in partem propenderem, quæ ad tutandam hominum vitam utilior eſſet, atque præſtantior, ſaniorique eruditi hujus ſæculi genio rectius indulgeret. Urgebat me hinc debita quædam in veteres reverentia, felix ac multo annorum pondere roborata Praxis, tantorumque veſtri hujus Archilycei antiquorum Patrum exemplum: ſed altera ex parte novæ recentiorum doctrinæ ab experientia deductæ, ac quadam veritatis dulcedine illitæ ſitientem trahebant animum; & tot nobiliſſima inventa, tot nova remedia, tot elegantiores formulæ, ac tandem acutiora Italiæ ingenia veterum otia increpabant, tutioremque viam ad ſanitatem comparandam meliori quidem omine oſtendere videbantur. In tanta rerum ambiguitate diu agitato fortuna tandem favit, dum Valliſnerii tui conſilio, & opera ſuffultus, eam methodum tandem me elegiſſe ſpero, quæ neque a vera Antiquorum praxi, neque ab optima Recentiorum theoria deſciſcat, Malpighianam ſcilicet, judicio, doctrina, experimentis longe omnium præſtantiſſimam, Italiæque temperamentis aptiſſimam. Sed quoniam hæc e ſuis præcipue Conſultationibus eruitur, quæ uſque adhuc paucorum in ſcriniis, tanquam theſauri, cuſtodiebantur, mihi e re viſum eſt, primam harum Centuriam in bonum publicum typis concedere, ipſamque ſub ſpectatiſſimo patrocinio tuo ſartam tectam velle. Ita libellus hic de latibulis ſuis primo reptitans, & ante tua ora ſe ſiſtens, tanquam cœleſti afflatu recreatus, licet non oleat quandam rerum naturalium novitatem, nunquam apud

erudi-

eruditos frigeſcet. Commendabit ſe illis, Tibique, non diſputationum ſubtilitate, non crebris hominum, animaliumque funeribus, atque experimentis, ſed exactiſſima morborum, & ſymptomatum explicatione, remediorumque aptiſſimorum utilitate. Quæſitam itaque hac vice, non per cultrum, aut Microſcopium, nec per ambiguas diſputationes veritatem, ſed recta ratione, & experientia genuinam corporis humani morbos curandi methodum læto vultu accipe, ideſt illo, quo literis tutelam promittis, Veritati pondus, Gloriam laboraturis. Ita fiet, ut prima hæc ſtudiorum meorum agitatio minus famæ diſpliceat, & tenue quidem, ſed veritatis amans ingenium, Te benigniter aſpirante, in majores auſus aſſurgat. Non audeo, ut fieri in ſimilibus aſſolet, ad tuas laudes Orationem convertere, Vir Sapientiſſime, cum mihi vires impares ad tantum onus fatiſcant; libenter iis hanc exornandam provinciam concedens, quibus meliores dicendi ſuppetunt vires. Neque enim æquarent verba Tui, Tuæque Nobiliſſimæ Domus merita, cum maxima, Caſſiodoro teſte, maxima quærant. Quo enim dicendi ſtylo trium Reginarum Maurocenarum Decus, Antiquiſſimamque, nec unquam Fatorum invidia fractam tot Avorum, Atavorumque Gloriam poſſem exprimere? Quomodo ſummum, & ad magis ardua Tuum felix Ingenium, Sapientiam, Humanitatem, Munificentiam Tuam, totque alias ſingulares Animi Dotes, de quibus omnes ætates loquentur, juvenis adhuc, & impolitus ſcriptor exponerem? Melius igitur conſultus

ma-

magna Tuorum majorum nomina, Tuique laudes ſilentio involvam, juvabitque potius deeſſe mihi, quam Tibi. Deus interea Te Tuoſque perpetuo ſoſpitet, & ab alto meis, omniumque annuat votis.

Humillimus, Obſervantiſſimus, & Addictiſſimus Servus
Hieronymus Gaſpari.

HIE-

HIERONYMUS GASPARI

Benevolo Lectori.

VIx Medicinæ ſacris initiatus eram, præceptis illis, inſtitutiſque Antiquorum imbutus, quibus Juventus informari ſolet ad accipiendam Lauream, cum mecum ipſe cogitare cępi, quem impoſterum ducem eligerem, cujus veſtigiis inhærens theoricam ex Neotericorum placitis adipiſcerer (quod antiquam illam a recentioribus, experientia ſuffultis, partim repudiari, partim in meliorem formam reſtitui animadvertebam) praximque cum ubique terrarum, tum præcipue ſub Italo Cœlo ægris ſaluberrimam ſtudioſe mihi compararem. Ac ne forte errarem in eligendo, conſului de hac re D. Antonium Valliſnerium in hoc Patavino Gymnaſio Medicinæ olim Practicæ, nunc Theoricæ Profeſſorem Primarium, ſingularis integritatis, ac fidei virum, quem unum ex cunctis Medicinæ exercendæ Magiſtrum mihi delegeram; qui poſtquam Hippocratem, Galenum, alioſque Priſcos Medicorum Principes ſerio commendavit, quorum libros mihi ſuadebat, ut nocturna, diurnaque manu verſarem, Malpighium inter cęteros, qui de re Medica ætate noſtra ſcripſere, ita laudibus extollebat, ut ejus percipiendæ Doctrinæ ſtatim arderet animus meus cupiditate incredibili. Verum ego cum paulo ante noviſſem, in ejus Operibus typis evulgatis theoricæ quidem multum, praxis vero parum ineſſe, rurſus percunctabar ex eo, ubinam de Medicina practica librum aliquem laudati auctoris invenire,

mi-

mihi datum eſſet ; cum uſque adhuc Malpighiana Praxis fere occulta , & ignota latuerit , imo Malpighius ipſe a multis , dum in vivis erat , Practicus parum felix , inſulſus , parcuſque remediorum haberetur . Exarſit contra hæc graviter , vir alioquin mitiſſimus , Valliſnerius , cum præcipue Medicis Bononienſibus , quos in honore , & exiſtimatione habet , aliiſque Malpighii diſcipulis , inter quos ſe ipſum enumerari gloriatur , notam hanc inuri a quibuſdam maledicis Medicis , iniquo ſane judicio , alias atque alias audiviſſet . Ac ſtatim , ut injuriam hanc a viro excellente , virtutis , & ſapientiæ gloria digno detergeret , ad pluteum ſe convertens , in quo manuſcripta de re Medica pretioſiora aſſervabat , ex eo Malpighii Conſultationes extrahens : Lege (inquit) ac relege viri eruditiſſimi Conſilia , animumque tuum hac imbue doctrina , hiſce præceptis ; hinc etenim quod quæris , habebis ; rationem ſcilicet exercendæ artis medendi optimam . Nulla Conſilia his meliora invenies unquam , ſive theoriam , ſive praxim requiris ; nulla , in quibus morborum phęnomena abſtruſa , ac difficillima explicentur clarius , & elegantius , nulla , quæ indicationibus Medicinæ commodius ſatisfaciant ; quæ fortioribus Doctrinæ fundamentis nitantur ; quæ tutius , blandius , ac facilius obfirmatam quamlibet , pertinacemque morbi cauſam averrũncare conentur . Teſtes mihi eſſe poſſunt duo Viri Clariſſimi , ex illis , qui ultra Montes habitant , Mangetus , & Valentinus ; qui duo tantum Malpighiana Conſilia , quæ ad eorumdem manus pervenere , tam magni æſtimarunt , ut libris ſuis , ille Bibliothecæ Medico-Practicæ , hic ſuæ Medicinæ infallibili , tanquam Artis miracula , inſerta voluerint . Nihil in his ſuperfluum , nihil , quod ſummam prudentiam

non

non redoleat, vel quod nocere poſſit, niſi juvet; invenies; quorum ad exemplar tuam medendi methodum, me judice, compone: quidquid invidi, vel ignavi tanti viri detractores murmurent, vel ganniant. Generoſum Profeſſoris Clariſſimi amorem erga diſcipulos, erga veritatem, erga bonarum artium incrementum non potui tunc non mirari, qui nulli parcens labori, nihil ſibi arcanorum loco vindicans, omnem lapidem movet, ut clariora Artis noſtræ lumina e tenebris tandem erumpant; & antiquis tot doctiſſimorum virorum noſtrorum facibus novæ faces ſuperaddantur; exemplo monſtrante viam. Scripta interim adeo pretioſa, quæ mihi tam benigne obtulit, exoſculatus, ſinu fovi, domumque reverſus, hæc continuo manu terens, tantum ex his me pauco temporis ſpatio profeciſſe ſpero, quantum, ſi fere toto meæ vitæ curſu in immenſis priſcorum voluminibus evolvendis inſudaſſem. Poſtquam igitur mihi feciſſe ſatis exiſtimavi, cogitabam, me rem minime laude indignam, nec ingratam poſteris facturum, ſi ea, per quæ profeci, ut & alii proficerent, typis concederem; putans nec ab illuſtribus Malpighii Manibus, nec a Vallisnerio noſtro mihi vitio verti poſſe, ſi quæ privatus peperit amor, publicus evulgaret. *Revera* inquit Sydenham (a) *ſi quis inter Mortales reperiatur, qui ſive methodo aliqua certa, ſive remedio ſpecifico adhibito, febrium harum intermittentium curſum non ſolum inhibere, ſed etiam omnino abrumpere novit, exiſtimo omni jure teneri, ut humano generi rem illam ſummopere expetendam patefaciat: quod ſi non fecerit, ego illum nec boni civis, nec prudentis viri nomen mereri pronunciare auſim. neque enim civis* B *boni*

(a) *De febribus intermittent.* *An.* 1661. 62. 63. 64.

boni eſt, illud in rem ſuam vertere, quod toti generi humano tam ingens beneficium apportet: nec viri prudentis, Divina Benedictione ſemetipſum privare, quam a ſumma bonitate liceret expectare, ſi ad publicum bonum promovendum ſe accingeret. Honoris autem, ac divitiarum longe minor apud probos ratio habetur, quam virtutis, & ſapientiæ. Si vir me omni exceptione major, de unico Tertianarum remedio ita ſentit, quid de tot remediis; & de aurea methodo ſenſiſſet, ſi hæc rurſus in arculis centum ſignatis clavibus occuluiſſem? Bartolinus etiam in ſuis Epiſtolis, eos ſæpe increpat, qui remedia, quaſi publico invideant bono, ſilentio involvunt; ſordidique, ac humi repentis animi eſſe judicat, ſi quidquid Reipublicæ utilitati eſſe poteſt, tenaciſſime abſcondant. Sennertus in ſuis Paralipomenis idem ſentit: doctiſſimuſque Valentinus aliam hærere mentem iis exiſtimat, quibus de meliore luto

Finxit præcordia Titan.

Hi enim, inquit, *non ſibi, ſed proximo nati omnia in honorem Dei fratrumque ſubſidium expediendo, Creatoris benigniſſimi magnalia palam celebrare, publicoque publicis documentis inſervire ſtudent.* Diſcant a Græcis Itali, ab Ethnicis Chriſtiani, qui profligato per remedia probata morbo, hæc non ſibi tenaciter reſervabant, ſed tabulis votivis inſcripta in Fano Æſculapii publice ſuſpendebant, ut omnes diſcerent, quibus remediis in ſimilibus morbis reciperent ſanitatem.

His igitur rationibus, auctoritatibus, & exemplis ductus mihi temperare non potui, quin Medica Malpighiana Conſilia, quæ tanti emolumenti ægrotantibus eſſe poſſunt, lucis uſura frui permitterem, ut & Sapientiſſimo Auctori gloriæ, & populi incolumitati, & Reipublicæ Literariæ utili-

utilitati eſſe poſſint. His igitur, amice Lector, humaniter fruere, dum interea Conſiliorum ejuſdem Auctoris Centuriam alteram conſuo, ut quicquid pro ſanandis ægrotantibus divina illa mens ſignatum voluit, humano generi ſæpe magis quorundam Medicorum inſcitia, quam morborum tyrannide conflictato, prodeſſe poſſit. Vale.

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. F. *Ambroſio Liſotti Inquiſitore di Padova* nel Libro intitolato, *Marcelli Malpighii Conſultationum Medicinalium Centuria prima*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza a *Zuanne Manfrè Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 20. Luglio 1712.

(Girolamo Venier K. Proc. Reff.
(Marin Zorzi Reff.
(

Agoſtino Gadaldini Segr.

Typographus.

EGo quoque volo te paucis, Lector humaniſſime. Jam enim ferre non poſſum impoſitam nobis hoc tempore conditionem prorſus iniquam, ut librorum errata omnia præſtare debeamus. Eſt ne aliquis in ſcribendo aſper & obſcurus? Typographus verborum ordinem perturbavit. Utitur quis decurtata nimium truncaque oratione? Typographus quædam omiſit. Eſt qui μακρολογία laboret? Typographus in orationis contextum interpretationes induxit. Uno verbo, invidia omnis malefacti non noſtri ad nos miſeros contra jus faſque rejicitur. Nihil tale quippiam, inquies, in Malpighianis lucubrationibus timendum. Ita ſane, ſi viveret Auctor, ſuaque ipſe in lucem edenda curaret. At vero cum hæc multis abhinc annis partim ſcripta, partim etiam dictata in paucorum gratiam fuerint, ne dicam ex tempore fuſa, quis ita bonus ſit, ut omnibus abſoluta numeris credat, vel ita audax, ut abſolvere ipſe aggrediatur? Satis novi, non defuturos, qui in ſingulis *Conſiliis* morborum hiſtoriam deſiderent. Numquid me ſtatim avaritiæ poſtulabunt, quaſi vero ad impenſas minuendas præterierim? Quin potius reputent, ab ipſo Malpighio fuiſſe neglectam, quod hominibus ſcriberet rei ſuæ non ignaris? Remedia plura quidam requirent. Numquid ego in judicium vocandus, quaſi vero negligentia & incuria perire aliqua paſſus ſim? Quin potius illud cogitent,

in

in morbis graviſſimis, de quibus fere præſtantes Viri conſuluntur, pauciſſima eſſe adhibenda, *ut proſint, aut ſaltem non noceant?* Plerique de orationis ſalebris, & obſcuritate conquerentur. Num mihi ſtatim dicenda dies; quod ſenſum non expedierim? Quin potius ipſi Malpighio ſcribatur dica, qui pro Medicorum omnium, ac Philoſophorum conſuetudine ab Ariſtotele uſque petita, tenebris quædam de induſtria involvit, nec tam quid diceret, quam quid non diceret, alicubi laboravit? Ceterum ego, quod fuit mearum partium, videor mihi diligentér executus. Tu vero amicius impoſterum mecum ages, ſi tantiſper reputare volueris, exemplaria ſæpe ad nos afferri tam fæde ſcripta, ut innumeras labes cum eluerimus, remanere tamen aliquas neceſſe ſit. Vale.

Hippocr. 1. epid. ſect. 2.

CON:

CONSILIORUM INDEX.

CONS. I. Dolor Capitis. Pag. 9
CONS. II. Capitis affectio, & animæ operationum, & pectoris læſio. 21
CONS. III. Delirium periodicum. 22
CONS. IV. Mania. 24
CONS. V. Epilepſia. 25
CONS. VI. Epilepſia. 27
CONS. VII. Epilepſia poſt apoplecticos inſultus. 28
CONS. VIII. Epilepſia cum coſtarum elevatione, dolore in ſiniſtra thoracis parte, totius corporis macie, Hæmorrhoidum, & narium hæmorrhagia. 29
CONS. IX. Epilepſia. 31
CONS. X. Epilepſia. 33
CONS. XI. Paralyſis ex lue Gallica. 35
CONS. XII. Paralyſis. 37
CONS. XIII. Paralyſis ſiniſtri lateris poſt Apoplexiam. 38
CONS. XIV. Paralyſis nervorum opticorum apparente geminatione objectorum cum Vertigine. 40
CONS. XV. Aphonia, torpor phantaſiæ, ſenſuum internorum, & memoriæ læſio, paralyſis ſphincteris veſicæ, & ani, cutis infectio, & Apoplexia. 41
CONS. XVI. Paraliſi delle parti inferiori, e delle Genitali, ottuoſità di mente, e gravezza di Capo dopo la podagra. 45
CONS. XVII. Dexteræ manus tremor, vigilia contumax, calor internus capitis, totius corporis laſſitudo, & macies, &c. 44
CONS. XVIII. Motus Convulſivi. 46
CONS. XIX. Motus Convulſivi cum involuntaria fæcum, & urinæ excretione, ac Viſus læſione. 47
CONS. XX. Melancholia, & Epilepſia. 49
CONS. XXI. Melancholia. 51
CONS. XXII. Melancholia. 53
CONS. XXIII. Ophthalmia, & Ictеritia. 55
CONS. XXIV. Profluvio d'Umore acqueo dagli occhi con qualche opacità de' medeſimi. 57
CONS. XXV. Suffuſio. 58
CONS. XXVI. Myopia. 60
CONS. XXVII. Ozæna. 62

CONS.

CONS. XXVIII. *Deſtillazione con uno ſputo aquoſo.* 63

CONS. XXIX. *Faucium morbus, & Tuſſis.* 64

CONS. XXX. *Orthopnea.* 66

CONS. XXXI. *Aſthma Convulſivum.* 68

CONS. XXXII. *Toſſe con uno ſputo verde, e giallo con tintura di ſangue, febbre dopo il cibo, e ſudore verſo la ſera.* 70

CONS. XXXIII. *Tuſſis cum ſputo craſſo, & viſcido, dolor in ſiniſtro latere, febricula pomeridianis horis, & univerſi corporis macies.* 72

CONS. XXXIV. *Tuſſis, Catarrhus, & totius corporis macies.* 73

CONS. XXXV. *Tuſſis cum ſputo copioſo, pruritu ſicco per univerſam cutim, vigilia, alvi ſiccitate, & febricula, contabeſcente etiam corpore.* 75

CONS. XXXVI. *Tuſſis, Sputum copioſum cum ſanguine, febris, & univerſalis Macies.* 77

CONS. XXXVII. *Tuſſis cum ſputo, Calculi renum, & dolor articulorum.* 78

CONS. XXXVIII. *Thoracis affectio cum tuſſi, reſpirandi difficultate, ſputo ſanguinis, &c. cum ſuſpicione Lucis Gallicæ.* 79

CONS. XXXIX. *Sputo di Sangue.* 81

CONS. XL. *Sputum Sanguineum ſingulo Menſe.* 82

CONS. XLI. *Spaſmo del Cuore col polſo impetuoſo, e grande, &c.* 84

CONS. XLII. *Præcordiorum turbatio, ac in utroque pulſu irregularitas, & intermiſſio.* 85

CONS. XLIII. *Hydrops pulmonum cum tumore aquoſo in ambitu corporis.* 87

CONS. XLIV. *Hydrops pectoris cum ædematoſo pedum, & crurum tumore.* 89

CONS. XLV. *Singultus, Vomitus, Dolor Ventriculi, & Angor, &c.* 90

CONS. XLVI. *Vomito.* 91

CONS. XLVII. *Vomito Sanguigno.* 92

CONS. XLVIII. *Colicus dolor.* 93

CONS. XLIX. *Alvi fluxus cum dolore inteſtinorum, lumborum, dorſi, ac interdum febris.* 94

CONS. L. *Contumax alvi fluxus cum febre, & renum dolore.* 96

CONS. LI. *Affectus Hypochondriacus cum flatibus, ventriculi ſubverſione, Podagra, dolore capitis, & tinnitu aurium, &c.* 98

CONS.

CONS. LII. *Affectio Hypochondriaca.* 99
CONS. LIII. *Hypochondriaca affectio.* 101
CONS. LIV. *Affectio Hypochondriaca Scorbutica.* 104
CONS. LV. *Melancholia Hypochondriaca.* 106
CONS. LVI. *Melancholia Hypochondriaca cum Vertigine, & Convulſione.* 108
CONS. LVII. *Scorbuticus affectus.* 109
CONS. LVIII. *Scorbutica affectio, cum pulmonum vitio, Lienis tumore, &c.* 111
CONS. LIX. *Itterizia con abborrimento del Cibo.* 112
CONS. LX. *Icteritia cum Hypochondriorum tenſione, hepatis duritie, fluxu ſanguinis ab hæmorrhoidibus, & naribus.* 114
CONS. LXI. *Lienis tumor, calor in toto, pedum tumor.* 116
CONS. LXII. *Lienis ſcirrhus.* 118
CONS. LXIII. *Hydrops, Corporis Maraſmus, &c.* 119
CONS. LXIV. *Hydrops, & menſtrua purgatio impidita, cum fœdo totius colore.* 121
CONS. LXV. *Aſcites cum pulmonum labe, & tympanitide.* 123
CONS. LXVI. *Hydrops Aſcites.* 125
CONS. LXVII. *Idropiſia Aſcite.* 127
CONS. LXVIII. *Calculus in rene Dextero.* 128
CONS. LXIX. *Nephriticus dolor ex calculo, Renis ulcus, & Febris cum obſtructione Hepatis.* 130
CONS. LXX. *Ulcus in collo Veſicæ.* 131
CONS. LXXI. *Tuberculum Uretræ.* 133
CONS. LXXII. *Diabetes.* 134
CONS. LXXIII. *Sanguinis mictio.* 136
CONS. LXXIV. *Pro Præſervatione mictionis arenularum.* 138
CONS. LXXV. *Urinæ difficultas, quæ guttatim exprimitur cum dolore, & ardore, & interdum cum ſedimento tartareo.* 140
CONS. LXXVI. *Retenzione d' Orina da materia mucoſa, ed Erpete.* 142
CONS. LXXVII. *Inveterata urinæ ſuppreſſio.* 144
CONS. LXXVIII. *Pro Impotente ad Venerem.* 146
CONS. LXXIX. *Venerea Lues cum contumaci Gonorrhæa, & Melancholia hypochondriaca.* 147
CONS. LXXX. *Paucitas urinæ poſt contractam Gonorrhæam.* 148
CONS. LXXXI. *Gallica Lues contumaciſſima.* 150
CONS. LXXXII. *Suppreſſione de' Meſtrui con Carattere Celtico.* 152
CONS. LXXXIII. *Suppreſſio Menſium.* 154
CONS. LXXXIV. *Suppreſſio Menſium.* 157

CONS. LXXXV. *Imminuta Menſium excretio, febris lenta, fædus color, & interdum labefactata viſio, &c.* 158
CONS. LXXXVI. *Fluor albus.* 160
CONS. LXXXVII. *Fluor albus.* 161
CONS. LXXXVIII. *Affetto iſterico con un tumore nella mammella ſiniſtra.* 162
CONS. LXXXIX. *Affectio Hyſterica.* 164
CONS. XC. *Sterilitas.* 166
CONS. XCI. *Arthritis.* 168
CONS. XCII. *Tumor durus in dextera Mamma.* 171
CONS. XCIII. *Eryſipelas cum febre.* 172
CONS. XCIV. *Tumores ſtrumoſi, Ulcera, Maraſmus totius corporis.* 174
CONS. XCV. *Viſcerum obſtructiones, tumores muſculorum, ſcabies contumax, ventriculi languor, febris, &c.* 175
CONS. XCVI. *Curvatio vertebrarum interiora verſus.* 177
CONS. XCVII. *Febris lenta, & longa cum tenſione abdominis, & fames acutior circa ejuſdem adventum.* 178
CONS. XCVIII. *Febbre con leſione negli Occhi.* 180
CONS. XCIX. *Febris cum tuſſi, & raucedine.* 181
CONS. C. *Febris contumax ſævis ſtipata ſymptomatibus.* 183

CONSILIUM PRIMUM.

Dolor Capitis.

NOtiſſimus eſt Morbus, quo Illuſtriſſimus D. cruciatur; eſt enim dolor capitis punctorius prope ſiniſtrum temporalem muſculum primo manifeſtatus; nunc vero vagus, cum in utraque mandibula, interdum in occipite, alias in ſincipite ſuas exerat vires. Pars affecta eſt membrana cum appenſis nervis, quæ a ſero ſalibus turgido irritata, vel ſaltem ejus copia gravata, ita in minima ſua compage ſolvitur, ut excitatis ad motum fluidis, quibus propria filamenta perpetuo irrorantur, concitato tandem nerveo ſucco intra nervorum arctos tubulos contento communicantur, unde inverſo ejuſdem blando motu, & propagata turbatione, & impetu uſque ad Cerebrum, triſtis, moleſtuſque ſenſus ſuſcitatur; hinc dolor. Capitis contumaces dolores fieri a ſeroſa colluvie, ſectiones cadaverum abunde probant; cum in hac parte facillime laceratis lymphaticis, vel immutatis fluidorum compage, & componentibus, in anguſtia meatuum ſalinæ particulæ ichoribus ſolutæ intercipiantur, & ita congeſtiones fiant, quæ ibidem præ reliquis ſenſibiles ſunt ob copiam articulationum, & arctam perioſtii compoſitionem. Quoniam tamen in nobiliſſimo patiente ætas floret, & corporis æconomia vigere videtur, ideo probabile eſt peccantem materiam parvam eſſe mole, ſumme tamen activam ratione motus, & figuræ partium minimarum, quibus coagmentatur. A quanam parte morboſi hujuſmodi ichores tranſmittantur, difficillimum eſt determinare. Dubitare tamen poſſumus, an a lympha, quæ in univerſo corpore ſeparatur, ſanguinique miſcetur, ortum trahant; cum hæc de facili acorem contrahat, qui fermentatione in vaſis ſanguineis non ita facile evincitur, cum affuſi Sales difficulter intime miſceantur, & inconſpicui reddantur, vel exaltati per tranſpiratum diſſipentur. An præter manifeſtas qualitates aliquid ſpecificum inſit materiæ a cauſa externa contractum, dubium eſt apud Doctiſſimos Viros, cum quibus ego quoque vereor. Indicationes igitur manifeſtæ occurrunt, diſſipandi ſcilicet ma-

teriam morbificam in parte congeſtam, depurandi univerſam ſanguinis maſſam, & firmandi partem affectam. Pro quibus aſſequendis cuncta fere artis remedia jam, incaſſum licet, adminiſtrata ſunt. In Chirurgicis ergo ſi venæ ſectio in pede jam celebrata non ſit, tentanda erit; Pro diſſipanda autem materia, & tollendo charactere Celtico, ſi quis ſit, laudo uſum Salſæ parillæ, & parari poterit infuſio in aqua Nuceriæ cum limatura C. C. hordeo decorticato, & ſimilibus ſuper cineres calidos per horas XII. hacque utatur per menſem. Quarto quoque die additis ℥ iii. foliorum ſenæ cum ℥i. liquiritiæ, ſolutiva reddi poterit hujuſmodi infuſio. Septalius laudat decoctum Saponariæ, quo ego felici cum ſucceſſu in ſimilibus caſibus uſus ſum.

Interdiu aſſumat tabellas paratas raſura Matris perlarum, eboris, & antimo. diaphoreti. Opportunæ erunt Emulſiones ex amigd. dulcibus recentibus, & ſeminibus cucurbitæ, quibus interdum urgente doloris atrocitate ſemina papaveris albi addi poterunt. Interim pro deſiccanda materia maſticatoria convenient, & frequenter detineat in ore tabellas paratas Sale prunelle, quibus ſalivatio provocabitur. Blanda quoque pedibus convenient balnea parata aqua dulci herbis emollientibus alterata. His peractis, exhiberi poterit ſerum Caprile colatum, additis guttis aliquot ſpiritus ſalis dulcificati. Et tandem ſi autumno perſeveret affectio, lac vaccinum coctum cum aqua violarum conveniet. Circa localia uterer Cancris fluviatilibus contuſis in mortario cum farina ſeminum Cannabis, & paſſulis etiam coctis in lacte vaccino ad conſumptionem tertiæ partis, nec abhorrerem a fricationibus ſemel in die aquæ vitæ camphoratæ ad Veſperas. Circa victus rationem abſtineat a vino, ejuſque loco aqua Salſaparilla ac paſſulis condita potetur. Cæterum quotidie præſidia medica ſuo tempore debita methodo adminiſtranda erunt, nec irritanda venit natura ſæpe inculcatis diverſis remediis, &c. Pauca hæc, &c. Faxit Deus.

CON-

CONSILIUM SECUNDUM.

Capitis affectio, & animæ operationum, & pectoris læſio.

Senſuum internorum, & localis motus læſionem abunde oſtendunt ſymptomata in doctiſſima ſchedula exarata. Quoniam tamen docente Hipp. *de locis in homine, natura corporis eſt principium ſermonis in arte medica*; & cum circa generationem tam mirabilium actionum ſolas palpemus tenebras, noſque lateat mechanica ratio, qua tam mira eduntur, ideo probabili, ne dicam omnino obſcuro progreſſu, nobis incedere datum eſt; quædam tamen ex obſervationibus, & cadaverum inſpectionibus deſumpta non parum lucis afferunt. Veriſimile eſt igitur in naturæ ſtatu in corticalibus cerebri glandulis e propulſo ſanguine ſuccum perpetuo ſeparari, qui in continuatas cerebri fibras, indeque in nervos emiſſus nativam excitat in eiſdem tenſionem, qua media pulſatis externorum ſenſuum organis tremor, & undulatio in cerebrum ipſum propagatur, quibus mediis concuſſa anima ſentit. Eodem quoque probabiliter organo, & methodo utitur, dum ſcilicet quieſcente etiam objecti externi activitate, & motione meditatur, vel memorat. Ut igitur debita ſuccedat tenſio, requiritur proportionata quantitas, & qualitas ſeparati ſucci, & compreſſio a cerebro, & meningibus; quibus deficientibus ſenſus turbatur, & motus vitiatur. In Religioſiſſima itaque Moniali veriſimile eſt ex luxuriantibus Sylveſtribus ſalibus, & eroſivis inquinamentis in ſanguine circa cerebri corticem factam eſſe congeſtionem, non abſimilem illi, quæ jam pulmonibus ex irruentibus in tracheam, & pulmonum veſiculas acribus particulis cum ſero manifeſtata eſt. Datum enim eſt ex cadaverum obſervationibus in hujuſmodi affectionibus, & præcipue oblæſa memoria circa cerebrum ſub meningibus ſeri copiam inſignem intercipi, quæ quandoque gelatinæ ſpeciem præſefert, & in cerebri ventriculis, & in choroidei plexus glandulis non raro ſeroſam colluviem turgere. Quapropter non ſolum cerebri fibræ laxantur, verum ſuppoſito pondere meningum vis motrix impeditur, unde tre-

tremores ab ipſa anima emanantes non excitantur, utpote remiſſi, reliqui vero ab organis ſenſuum externorum, utpote validiores concuſſionem efficiunt. Eadem quoque de cauſa localis motus, & reſpiratio vitiatur; non enim debita quantitas nervei ſucci continuata tunc a cerebro propellitur in nervos: unde in muſculis thoracis, & artuum nativa tenſio celebrari nequit; congeſta quoque materia in pulmonum ſinibus gravando reſpirationem vitiare poteſt.

Indicationes igitur erunt auferendi congeſtiones, deducendo materiam ad vias urinæ, vel tranſpiratus; purificandi ſanguinem, & firmandi partes; ne facto ulteriori impedimento præceps, & funeſtus ſuccedat morbus. Pro his itaque exequendis curatio inſtituatur, lenita alvo floribus caſſiæ, & blandis medicamentis; ſoliſque clyſteribus emollientibus incedendum.

Alterantium loco utatur jure alterato primul. ver. pæntaphi. flo. Til. rad. gram. & malv. cum quo aſſumat ſal prunelle, & card. ſanct. per 20. dies, quibus tranſactis therebentina julebizata per menſem exhibeatur. Interea tranſacto Æquinoctio, ſi venæ turgeant, præcipue circa caput, vena brachii aperiri poterit, educta pauca quantitate ſanguinis, ita ut repeti poſſit. Urgente interea calida temperie uſurpari poterunt diaphoretica, unde opportunus erit uſus ſpi. C. C. vel ſaltem ſtibium diaphoreticum ſumptum cum juſculo alterato flo. meliſ. & primu. Ver. Interdiu utatur rotulis paratis roſ. matr. per. ebor. & Sal prunel. additis guttis aliquot ſpiri. ſal. armon. In vino quoque limat. C. C. infundat, idque parce potet. Pauca hæc, &c.

CONSILIUM TERTIUM.

Delirium Periodicum.

Delirio periodico tentatur Nob. patiens, quod, ut probabiliter conjectari licet, ſuccedit, vellicatis cerebri fibris, & inducto in iiſdem tremore analogo ei, qui alias ab objectis externis per ſenſoria, & continuatos nervos communicatur, ita ut ab acidis ſalibus mixtis ſtato tempore nerveo ſucco eadem interius inducatur motio, quæ præſente objecto intra communicatur: hinc compati-

tur anima, & principes functiones oblæduntur: & quia ap-parent rudimenta motus convulſivi in ſomno præcipue; ideo morboſa quoque affectio communis redditur non ſolis cere-bri fibris, & ejuſdem membranis, ſed etiam appenſis qui-buſdam nervis, quare periculum eſt, ne delirio comes ad-datur Epilepſia; quod Deus avertat. Acidi igitur ſales, qui ſtato tempore fibras cerebri vellicant, probabiliter in hypo-chondriis gignuntur, ut optime innuitur.

Quapropter Medicæ Indicationes ſunt tollendi ſales aci-dos, dulcificandi fluida, & depurandi hypochondria, firman-dique viſcera. Pro explendis hujuſmodi intentionibus, plura ex methodo adminiſtrata ſunt, aliaque ſuperſunt. Pro ſol-venda itaque alvo uſurpari poterit Caſſia cum pulpa tama-rind. aut ſyrup. de Pomis, cum ſena, ſeu ſyrup. de Cychor. cum Rhabarba. Sectio venæ inſtitui poterit in B. etiam repetitis vicibus, & fonticulus præ reliquis in hoc morbo commen-datur, præcipue in nucha excitatus, ſi præſertim corpus pingue, & carnoſum exiſtat. Alterantium loco ex uſu ſint propoſiti ſucci. Borag. fumar., & lupulo, vel horum loco potet ſerum Capril. col. ad ℥ vi. ſingulo mane per menſem, cui addatur tinctura Chalyb. deinde uſurpet lac Aſinæ, cui miſceatur antimon. diapho. ℨ ſ. ſal prunel. vel nitri purif. gra. viii. interdiu ſumat rotulas paratas raſ. cran. huma. o-cul. Cancr., ſal. card. bened. coral. rubr. ſacch. candit., & a-qua viola. Abſtineat a vino, & ejus loco potet aqu. Nuce-riæ, vel hordeo alteratam, cui addere poterit modicum ſy-rup. Viola. Caveat a ciborum varietate, ab acidis piperatis, & impenſe ſalſis, ab uſu tabaci, & præcipue Hiſpanici: ca-veat a ſtudiis interim, donec extincta irritatione firmatum ſit Caput; pauca hæc curſim indicabam pro ſalute Illuſtriſs. Æ-grotantis; eaque prudentiæ Doctiſſimorum Medicorum ſub-jiciebam, &c. Faxit Deus.

CON-

CONSILIUM QUARTUM.

Mania.

HO conſiderato le ſcritture, che V. S. Illuſtriſſima s' e compiaciuta inviarmi, ed anco fatta rifleſſione ſopra ciò, che perſonalmente ho oſſervato, e parmi nota l' Idea del male, e molto probabile il modo accennato della generazione. E' adunque una Mania cagionata da parti irritanti, ed analoghe ad un' acqua forte, le quali radunate, e manifeſtate nel ſangue con periodo ordinato ſi meſcolano col ſugo nerveo, e facendo una ſpecie di convulſione nelle fibre componenti il Cervello, turbano la naturale tenſione d' eſſe, ed eccitano nuovi ed eſtranei tremori, onde ne naſce la leſione delle facoltà naturali principali, turbandoſi quaſi tutti i ſenſi interni colla ſpecie di coſe peregrine. Il veder poi, ch' il primo inſulto ſi manifeſtò doppo un' aborto, ed un tumore conſiderabile nella coſcia, gamba, e piede ſiniſtro, ed una fluſſione alle gengive, ſcaturendo anche umor ſanguigno, e che il ſugo dello ſtomaco ſi muta, manifeſtandoſi una rabbioſa fame, e che nella ſolutione del periodo s' oſſervano intorno alla cute del Capo puſtole ſanguigne; mi fa dubitare; che a poco a poco ſi facciano parti analoghe al vetriuolo, o ad altro corpo eroſivo, e coagulativo, le quali ſcomponendo la maſſa del ſangue, la rendano incapace della total circolazione; onde ſi fanno decubiti non ſolo nell' ambito del corpo, ma anche internamente, e ſpecialmente nelle glandule, e porzione delle fibre del Cervello, e durano ſin tanto, che reſi fluidi i ſuddetti ſali, e meſcolati vengano riportati altrove. Qual ſia la fonte di queſti inquinamenti, non è coſì facile a determinarſi, potendoſi dubitare dell' utero, e de' ſughi delle glandule, e ſpecialmente della linfa, che reſa acida infetti il ſangue, e benchè l'affetto ſia nei fluidi, contuttociò per la lunghezza del male ſi è fatta tale apertura ne' meati minimi delle glandule del Cervello, e le vene forſe non riportano con la dovuta facilità, che il morbo è divenuto organico. Suppoſto dunque queſto, come pare probabile, ſuccedono le indicazioni di purificare gli umori, d' impe-

impedire le congeſtioni per quanto ſi può, e corroborare la parte offeſa. Per conſequir li detti fini ſono ſtati praticati i più proprj rimedj dell' arte, ma ſenza quell' intiero ſollievo, che ſi deſiderava. Ciò non oſtante ſtimo, che ſi poſſa proſeguire qualche cura, e per tanto crederei, che ſi poteſſe uſare l' infuſione d' elleboro nero replicato più volte. Per alterante poi mi valerei de' ſughi depurati di borag:, fumar: meliſſa, ed aſſenzo, a quali in progreſſo di tempo aggiugnerei il Croco di Marte aſtringente. In queſto mentre aprirei la vena del Braccio, levando ℥vii. di Sangue, e ſi potria anco replicare in altro tempo. Praticherei nel caldo della ſtagione i bagni d' acqua dolce, faccendogli anco al capo. Si potria ſervire delle rotole fatte colla polvere d' occhio di granchio, raſura di Madre perla, ſal prunelle, ed antimonio diaforetico col zuccaro candido, ed acqua di meliſſa, e di viole. Potrà bollire le foglie di Meliſſa ne' ſuoi brodi, e macerare le ſteſſe nel vino, ovvero in altro fluido, che prende a tavola. Queſto è quel poco, che poſſo accennare a VS. Illuſtriſſima per preſervarla, &c.

CONSILIUM QUINTUM.

Epilepſia.

EPilepſia tentatur Nob. Patiens, cujus natura, & generatio ſaniores etiam medicos latet. Veriſimile tamen eſt, hanc eſſe convulſionem totius corporis, cum ſenſuum, ac mentis frequenter læſione. Excitatur hæc eodem inſtrumento Mechanico, a quo in naturæ ſtatu localis motus celebratur, cum hac diſtinctione, ut in hoc operante natura ſuccedat, & ceſſet, in illa autem ſuſcitatur, & permanet cum læſione, etiam nolente animali. Cerebrum igitur in hac morboſa affectione a præternaturali cauſa laceſſitum nerveum ſuccum, ſeu ſpiritus animales tumultuarie propellit, continuatis nervorum tubulis in appenſos muſculos, & carneas fibras: unde in univerſo corpore involuntarii emanant motus, a quibus vaſa anguſtantur, & glandularum lobuli convelluntur: quapropter totius animalis œconomia perturbatur juxta illud Hipp. *ex ſanguinis perverſione totius omnino corporis ſubverſiones contingunt.* Irritatur

autem in caſu noſtro cerebrum ab inquinamentis, ut optime a Doctiſſimo viro exponitur, ab Hypocondriis traductis, quæ una cum ſucco nerveo Cerebri fibras ſubingreſſa turbationem promovent; vel potius circa Cerebri corticem, & membranas congeſta ſtato tempore irritationem, & preſſionem continuatam efficiunt; unde cerebrum cogitur inordinate, & cum impetu ſuccum propellere, & ita in muſculis perrennat morboſa contractio. Opprimitur autem cor affecto proprio nervo; & convulſis vaſorum ſanguineorum extremitatibus ſanguinis motum impedientibus. Reſpiratio pariter ſuccedit difficilis ex continuata muſculorum eidem inſervientium contractione, unde alternata thoracis dilatatio, & conſtrictio impeditur.

Indicationes igitur occurrunt manifeſtæ auferendi irritationes, dulcificandi humores, & firmandi Cerebrum; quibus, ut ſatisfaciamus, curatio blanda inſtitui debet. Purgantia itaque ſuſpecta ſunt; acuunt enim humores, & majori cum impetu ad affectam partem propellunt, & erodentes ſero ſpoliati, acriores, & activiores redduntur, unde ſolo ſero vaccino cum tartari Cremore, vel oleo amygdalarum dulcium extracto abſque igne alvi lenitio, ſi opus ſit, procuranda erit. Alterantium loco laudo Serum Caprile colatum, cum quo aſſumat cochleare gelatinæ Cornu Cervi per quindecim dies, quibus tranſactis ex uſu ſit lac aſininum cum modico aquæ Violarum per longum tempus: nonnulli huic addunt modicum ſaponis Veneti. Interea ſi venæ circa caput turgeant, nec tanta adſit pulſus raritas, vena brachii aperiri poterit. Pro roborando autem Cerebro uſurparem mixturam ex cranio humano; ſem. peoniæ, ſuccino albo; & foliis auri. Cum cibo interdum aſſumat cryſtallum præparatum, corall. rubr. & raſ. matr. perl. Frequenter pariter utatur emulſionibus amygdalarum dulcium præparatis in aqua Viola. & urgente irritatione interdum ſemina papaveris albi addi poterunt, quo caſu etiam conſerv. Viola. vel earundem ſyrupus opportunus erit. Abſtineat ex toto a vino, & aquam Nuceriæ potet; juſcula extinctione auri preparentur, & quoniam Herculeus hic morbus remediorum vim eludere ſolet, ideo, poſt adminiſtrata ſuperius exarata remedia, aqua deſtillata ex pane, & pulvere dentium lupi conveniet; animi, & corporis vehementes motus vitet; Victus ſit mediocris; Carnes ſint facilis coctionis, & elixatæ abſque aromatibus, & condimento acidorum. Pauca hec curſim in medio mearum occupationum habebam pro tollendo, vel ſaltem enervando ſacro hoc morbo. Faxit Deus, &c.

CON-

CONSILIUM SEXTUM.

Epilepſia.

Ex his, quæ habentur in docta ſcheda, patet Religioſiſſimum virum Epilepſia vexari. Hæc autem ſuccedit, ut conjectare licet, ab inquinamentis vitriolatis in imo ventre genitis, deinde ſanguini affuſis, & poſtremo ad Cerebrum traductis, quibus mediis nerveus ſuccus inficitur, cerebri membranæ ſtato tempore irritantur, unde indeſinenter abſque voluntatis imperio per nervos in muſculos copioſior ſpirituum copia inordinate propellitur, a qua convulſio in toto corpore. Principes quoque facultates, & externi ſenſus coafficiuntur, irritatis cerebri fibris, quæ tunc undulationibus per nervorum tubulos a ſenſoriis extremis propagatis convenire nequeunt. Quapropter Medicæ ſuccedunt indicationes depurandi hypocondria, tollendi irritamenta, & firmandi viſcera, præcipue caput; pro quibus explendis curatio proponitur. In Chirurgia laudo propoſitam Venæ ſectionem in pede, & ex hæmorrhoidibus. Pro lenienda alvo, ol. amyg. d. extractum abſq. ig. vel caſſia ſufficient, cavendo a valentioribus. Pro alteratione convenient ſucci depu. fuma. borag. & cichor. quibus poſt X. dies addat bolum paratum ℈ı. Croci Martis aperitivi, & modico conſerv. Viol. hiſque utatur XXXX. diebus; deinde potet indicatum ſerum Caprile colatum tantum, cum quo aſſumat pulveres ſpecificos propoſitos, ſemina peoniæ, raſ. cranii humani, & matris perlar. ſuccinum album pp. & ſimilia. Stato tempore conveniet aqua Nuceriæ. Autumno autem conſulo uſum lactis aſinini, cui miſceat modicum ſaponis Veneti. Frequenter uſurpet conſer. Violar. & emulſio ex amyg. dulc. quibus interdum miſceat ſemina papaver. albi. Abſtineat a vino, ejuſque loco potet aquam Nuceriæ alter. floribus tiliæ. Victus ſit mediocris, cibaria ſint ſimplicia, & facilis coctionis abſque condimentis acidis, & impenſe ſalſis. Carnes ſint elixæ, & hedina præ reliquis laudatur. Pauca hæc habebam pro confirmatione eorum, quæ a doctiſſimo Viro proponuntur. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM SEPTIMUM.

Epilepſia poſt apoplecticos inſultus.

Epilepſia laborat Illuſtriſſimus Patiens, ut in doctiſſima Scheda patet. Antecedenter apoplecticis inſultibus tentatus eſt, ſubſequente oris tortura, aphonia, gravitate, & torpore dexteri lateris, quæ omnia opportuno remediorum uſu ſublata ſunt. Herculei hujus morbi generatio, licet obſcuriſſima ſit, conjectare tamen poſſumus, ipſam ſuccedere irritatis, & convulſis cerebri fibris, & forſaſſe etiam ambientibus membranis a ſero vitriolatis particulis ſaturato, & aquæ forti, analogo; unde nerveus ſuccus inquinatus impetu, & irregulariter in continuatos nervos, & inde in appenſos muſculos morboſe propellitur; quapropter muſculi præter voluntatis imperium tenduntur, & concutiuntur. Morboſa hæc materia ab arteriis corticalibus glandulis ſubminiſtratur. Interdum, ut ex cadaverum ſectionibus deducitur, lymphæ copia ſub meningibus in ſinibus præcipue recollecta ſtagnat, quæ ſua mora acorem contrahit, & penetrato meditullio periodicas irritationes efficit, a quibus mutata fibrarum cerebri tenſione interni, & externi ſenſus vitiantur, & nervei ſucci propagatio accelera tur. Indicationes igitur ſunt depurandi ſanguinem, prout licet; tollendi irritationes, & congeſtiones, ſi quæ ſint, & firmandi Cerebrum. Pro his aſſequendis potiora, & tutiora video uſurpata remedia; quædam tamen in confirmationem propoſitorum curſim innuam, non pro debellando, ſed pro enervando hoc herculeo morbo. Si opus ſit alvi lenitione, ſufficiat uſus olei amyg. dul. extract. abſque igne, vel caſſia cum pulpa tamarindo: Crato laudat ſyrup. de Cichor. cum rhabarba; & ſyrup. de pomis cum ſena. Idem pro alteratione commendat toto anno deſtillatum cardui, & millefolii cum ſyrup. Violar. Pro tollenda irritatione, & dulcificandis fluidis poterit repeti lac aſinæ, vel vaccæ cui miſceat propoſitum antimon. diaphor. aut ʒs. ſaponis Veneti, vel ſaltem concoquat vaccinum lac cum ʒs. parte aqu. violar. quo tempore caveat a vino; & ſi abſtemius viveret per annum, multum proficeret. Loco vini potet aquam

Nu-

Nuceriæ alt. foliis tiliæ. Emulſiones ex amygdal. dulci. in aqua paratæ utiles erunt. Cum cibo aſſumat mixturam ex Cryſtal. Mont. pp. ex raſura matr. perl. &, ebor. ex ſuccino albo, ex Cranio humano, & ex ſimilibus. Animi motus vitentur. Victus ſit mediocris, & carnes ſint elixæ, inter quas agnina laudatur. Caveat ab acribus acidis, & flatuoſis eduliis. Pauca hæc habebam pro confirmatione propoſitorum. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM OCTAVUM.

Epilepſia cum coſtarum elevatione, dolore in ſiniſtra thoracis parte, totius corporis macie, Hæmorrhoidum, & narium hæmorrhagia.

Ex Signis, quæ in doctiſſimis conſultationibus ſparſim habentur, conjectari licet, Nobiliſſimum D. Epilepſia laborare, quæ frequenter ſuccedit: cui adduntur coſtarum elevatio, dolor in ſiniſtra thoracis parte, & totius corporis emaciatio, ſanguiſque e naribus, & hæmorrhoidibus copioſe effluens. Succedit autem Epilepſia irritato cerebro, vel ſaltem ejuſdem membranis ab ichore acido, & ſtyptico, quo nerveus ſuccus inficitur, ejuſque motus blandus, & continuatus turbatur, unde ſtato tempore cerebri fibræ retractæ objectorum externorum communicatis per nervos undulationibus non conſentiunt: hinc tolluntur interni, & externi ſenſus. Et licet convulſivi motus in externo corporis habitu non manifeſtentur, probabile tamen eſt, ut obſervant nonnulli practicantes, muſculos oculorum contrahi, & nervos, qui ad viſcera derivantur, affici: hocque in principio affectionis contingere ſolet præcipue in ſympatica Epilepſia, in qua ex diuturnitate morbi hiantibus plus juſto glandularum poris, extranei ſales ſylveſtres vitriolatæ naturæ admittuntur, & ita idiopatica efficitur affectio. Luxuriant porro acidæ particulæ in tota ſanguinis maſſa, unde facta congeſtione earundem dolor in ſiniſtra thoracis parte manifeſtatur, & coſtæ ex inæquali nutritione curvantur. Sanguinis quoque eruptiones eandem agnoſcunt cauſam: nam exaratis ſalibus ſaturatus, & eroſivus redditus

na-

narium, & ſedalium venarum ora aperiens foras ſibi viam facit. Cujus autem viſceris vitio copioſi ichores cumulentur, difficillimum eſt determinare, cum nullus tumor, vel alia organica læſio in glanduloſis corporibus emergat. Probabile tamen eſt, hoc in imo ventre contingere, ubi chylus gignitur, & ſanguis depuratur.

Indicationes igitur medicæ erunt tollendi irritationes cerebri, abſumendi acida, & communicandi toti ſanguinariæ maſſæ debitam craſim, & mixturam, ne ulterius fiant decubitus, & eroſiones in partibus ſolidis.

Pro curatione varia proponuntur prudenter remedia. Leniatur itaque alvus ſyrup. de Cichor. cum duplici doſi rhabar. vel ex uſu ſit propoſit. ſyrup. de Pomis Regis Sabor. Cæterum purgantia valida ſuſpecta ſunt; ulterius enim irritare poterunt. Pro alteratione uſurpetur jus pullæ alterat. meliſ. violá. malva, & ſimilibus, cum quo aſſumat gr. X. chalybis limati, & ſubtiliter contriti facto bolo ſucco concreto boraginis, hocque utatur per menſem. Multa conſerva violar. utilis erit. Suo tempore adminiſtrari poterit balneum aquæ dulcis. Æſtate ſerum Caprile colatum tantum potet, cum mixtura, ſeu propoſita opiata, & tandem autumno aſſumat lac aſinæ, cui miſceat portionem ſaponis Veneti, vel ſaltem Quartam partem aquæ viola. & hæc per geminos menſes ex uſu ſint. Eo tempore abſtineat a vino, ejuſque loco potet aquam alteratam floribus tiliæ, & hac ſola abſtinentia vini per annum, inſtituta ali-quos vidi ſanatos. Circa cauteria, cum corruptam alimenti partem evacuent, in corporibus gracilibus, & emaciatis ſuſpecta ſunt. Quoad victus rationem, ita rite inſtitutam video, ut nil addendum cenſeam. Pauca hæc curſim ægro corpore exarabam, pro integra ſalute Nobil. D. eaque ſubjiciebam acri judicio Excellentiſſimi Medentis. Faxit Deus.

CON-

CONSILIUM NONUM.

Epilepſia.

EX his, quæ a Præclariſſimo viro exarantur in doctiſſima Scheda, Illuſtriſſimum, & Nobiliſſimum P. Epilepſia laborare patet. Morbus hic, ejuſque generatio adhuc celebrium Medicorum ingenia torquet. Ex iis tamen, quæ a poſteriori habentur, probabiliter philoſophari licet, in hac affectione cerebrum, & nervos irritari, ita ut turbata fibrarum cerebri nativa tenſione, & tremore ex ſpirituum, & nervei ſucci impuritate, ſæva inde ſuccedant ſymptomata, quæ in continuatis etiam nervis, viſceribus, & ſanguineis vaſculis manifeſtantur. Probabile namque eſt, ut doctiſſime innuitur ab Excellentiſſimo Viro, peregrinum quid, & extraneum nerveo ſucco immiſceri, quo vellicatæ, & convulſæ cerebri fibræ, & appenſi nervi, non amplius externorum objectorum propagatæ blandæ motioni conſentiunt, unde ſenſus interni, & externi obſcurantur. Ex eadem pariter convulſione ſanguinea vaſa anguſtantur, ita ut docente Hipp. *lib. de flatibus*, *ſanguinis curſus alio quidem loco conſiſtat, alio lentius penetret, alicubi autem citius*: hinc etiam excretoria glandularum vaſa coarctatis venis liquidum copioſius fundunt in oris concavitatem, ventriculum, & interdum inteſtina, ita ut cum eodem Hipp. concludere poſſimus, *ex ſanguinis perverſione totius omnino corporis ſubverſiones contingere*. Cujus autem naturæ ſit extraneum illud, quod ſtato tempore delatum, aut congeſtum in cerebro irritationem facit; ſubjungitur a præclariſſimo Viro, vitriolatum ſcilicet, eadem tanquam materia, qua alias nephritis, ophthalmia, & catarrhus excitabatur, coagulativus ſcilicet, & erodens humor, facta metaſtaſi, novum gignit morbum. Veroſimile enim eſt, ſylveſtres ſales acidos, qui in hypocondriis gignuntur, non tantum irritatis nervorum finibus ad viſcera imi ventris productis cerebrum concutere; verum etiam delatos cum chylo, & poſtremo cum ſanguine in cerebri glandulas facta in earum poros quaſi laceratione in continuatas cerebri fibras fiſtuloſas irrumpere, unde infecto nerveo ſucco, turbationes exara-

tæ ſubſequantur. Et quoniam labefactato cerebro; impuroque reddito ſanguine, tenella cerebri glandularum compages ſenſim laxata eſt, ideo affectus jam per conſenſum excitatus modo cerebri proprius videtur. Hujus probabilitatem indicare videtur artuum languor, pulſus rarus, & tardus, præcordiorumque anguſtia, quæ veroſimiliter nervorum vitio contingunt; vel enim tanta nervei ſucci quantitas expoſitis partibus non ſubminiſtratur, vel ſaltem derivatus ſuccus debita volatilizatione privatus, & fixorum ſalium mixtura vitiatus convulſionem quaſi perennem excitat, qua ſanguini blandus motus, ejuſque effluvium, & irroratio impeditur, unde horripilationes; & conſimiles moleſtæ ſenſationes obſervantur.

Ex his indicationes manifeſtæ occurrunt tollendi irritationes, detergendi inquinamenta eroſiva, & firmandi partem, pro quibus aſſequendis cum jam adminiſtrata ſint, quæ cauſam in hypocondriis ſtabulantem reſpiciunt, laudarem uſum ſer. Caprill. colla. ſingulo mane aſſumendi cum gelat. C. C. per XV. dies, quibus tranſactis, loco gelatinæ una cum expoſito ſero exhiberem ſpecifica, & roborantia cerebrum; qualis eſt mixtura ex cranio humano, ſemi: peon. ſuccino albo, & ſol. auri addit. gran. aliquot anti-mon. crud. vel cinabaris mineralis; quibus uterer; donec vere lac aſininum diu potari poſſet, cui tanquam vehiculum aqu. viola. cum modico Sapon. albi addi poſſe cenſerem; quo tempore etiam ſi venæ circa caput turgerent, nec in pulſu tanta adeſſet raritas; vena brachii aperiri poteſt. Et quoniam Herculeus hic morbus remediorum vim eludere ſolet, ideo poſt propoſitorum adminiſtrationem aqua deſtil. ex pane cum pulver. dentis lupi ex uſu ſit. Interea cum cibo aſſumat corallo rubro. pulver. cryſtal. & raſuram matriſperl. Emulſiones pariter ex amyg. dul. factæ in aqu. viol. opportunæ erunt, quibus urgente irritatione ſem. papav. albi addi poſſunt; in quem finem pariter uſurpari poſſet conſerv. viola. ſumpta in pleniore quantitate. Abſtineat a vino; ejuſque loco utatur aqua, Nuceriæ in qua interdum coquantur flor. ſalviæ. Auro ignito, vel Chalyb. præparentur juſcula. Animi, & corporis vehementem vitet motum. Victus ſit mediocris; carnes ſint facilis coctionis, & elixatæ. Pauca hæc pro tollendo, vel ſaltem leniendo Sacro hoc morbo, & ne funeſtiſſimus ſuperveniat novus morbus, curſim indicabam, eaque ſubijciebam judicio Doctiſſimi Viri. Faxit Deus, &c.

CON-

CONSILIUM DECIMUM.

Epilepſia.

SÆviſſima ſymptomata, quæ in eruditiſſima Scheda ex-arantur, Epilepſiam indicant; qua Illuſtriſſimus, & Nobiliſſimus D. torquetur. Morbus hic ignotiſſimus eſt, cum adhuc circa ipſius cauſas, & generationem fami-geratiſſimi etiam Medici inſudent. Ex emergentibus tamen productis probabiliter philoſophari licet, convulſionem eſſe totius cum ſenſuum internorum, & externorum motuſque læſione. Ut autem hæc magis pateant, præſciendum, in naturæ ſtatu perpetuo in corticalibus glandulis cerebri ſe-parari volatiles, miteſque ſpiritus, ſive ſuccum nerveum, qui in determinata quantitate ex perenni, blanda cerebri contractione in productas ejuſdem fibras, & ex his in con-tinuatos nervos exprimitur, & poſtremo in muſculos, & membranas imperio etiam voluntatis propellitur; ita ut ſen-ſus externi, & interni motuſque naturales peragantur, quatenus inducta mediocri tenſione in cerebri fibris undu-lationes ab externis objectis mediis ſenſoriis communicatæ re-cipiuntur, & animæ objiciuntur, & in muſculis hiatus pa-tent humoribus, a quibus fibrarum in muſculis ſubita ſuc-cedit tenſio. In hoc autem morboſo ſtatu immutata ner-vei ſucci natura, nativa fibrarum cerebri tenſio ex irritatio-ne in ſpaſmum, & convulſionem interpolatam immutatur; & retractis ſingulis nervis tumultuarie, & abſque imperio animæ patentibus fibrarum carnearum meatibus, muſculi in motu detinentur, & ita ſenſus interni, & externi mo-tuſque labefactantur vitiato organo. Excitatur igitur proba-biliter hæc convulſiva contractio in cerebro, & appenſis ner-vis a particulis vitriolatis, & arſenicalibus, quibus veluti ab aqua ſtygia alte penetrante, & erodente tenella fibra-rum cerebri ſtructura laceſſitur. Quare ex ſollicitante icho-re convulſa exprimit indeſinenter ſuccum, qui irregulari motu propulſus totam nervei generis armoniam, & compagem turbat. Hinc nil mirum, ſi dentibus fremat, convulſis ſcilicet faciei muſculis; ſaliva ſpumoſa erumpat, compreſſis ſcilicet ſalivalibus glandulis, a quibus eructatur humor, & aeri mixtus cum ſpuma poſtremo apparet. Sudor

quoque in agone ſuccedit, quatenus impedito ſanguinis per venas regreſſu media nervorum convulſione, potior ſanguinis quantitas circa corporis ambitum ſtagnat, unde ex mora, & copia plurimum ſeri glandulis cutis ſubminiſtratur. Morboſa hæc conſtitutio, quam Hippocrates totius corporis ſubverſionem appellat, ſuſcitatur ab acidis, & auſteris inquinamentis in glandulis imi ventris probabiliter congeſtis, & medio chylo ſanguini effuſis. Horum indicium eſt excretio bilis per vomitum a paroxiſmo, quæ poracea eſt: nam ex angore hepatis folliculi compreſſi evomunt bilem, quæ commixtis ſalibus acidis ab inteſtinalibus glandulis eructatis colorem hunc acquirit, ut in mechanicis experitur, & inverſo inteſtinorum motu in ventriculum, deinde foras detruditur. Eandem quoque morboſam labem fovet vitium reliquarum glandularum conglobatarum, unde infecta lympha acidas particulas ſanguini primo, deinde nerveo ſucco ſubminiſtrat. Firmat totum color totius corporis pallidus, & ingenium ſtudiis addictiſſimum.

Ex his igitur deduci poſſunt indicationes depurandi ſanguinem, auferendi irritationes, & convulſiones, firmandique partem affectam. Solet natura graviſſimam hanc affectionem tenellæ ætatis mutatione vincere. Ut igitur naturæ opem feramus, curationem inſtituemus, & pro leniente ſumi poteſt ol. amygd. d. ſ. ig. ex. cavendo a pillulis, aliiſque ſcamoneatis irritantibus. Alterantium loco conveniet jus chalyb., & alte. fol. borag., rutæ, beton. abſyn., & conſimilibus alcalicis, cui addat bol. parat., ex ocul. cancro: terra ſigill., ac corall. rubr., & per X. dies hoc utatur, quibus tranſactis addat tinctur. chalyb. per menſem. His peractis conveniet ſerum capril. per xv. dies, deinde lac aſininum per longum tempus, cui miſceat quintam partem aquæ viol. Apparente Vere v. ſ. a brachio inſtituatur. Tempore abſumptionis lactis ex toto abſtineat ab uſu vini, ejuſque loco aquam Nuceriæ, vel hord. ſumat, &, ſi per annum abſtineat, multum proficiet. Interea frequens ſit uſus conſerv. viola., emulſio. ex ſem. amygd. dul., addi. interdum ſemi. papa. albi. Cum cibo roborantia, & ſpecifica miſceantur ex ſemi. peoniæ, ſuccino albo, cranio humano, cryſtal. mont, pp., & raſ. Matris perlar., quibus Crato addit Cinnabar. nativam. Antimonium quoque crudum ad pauca grana exhibitum juvabit. Animi motus vehementes, ſtudium intenſum prohibetur. Victus ſit mediocris, Carnes ſint facilis coctionis, ut plurimum elixę, & prę ceteris laudatur agnina. Vitentur aromata, acida, ſalſa, & flatuoſa, &c.

CON-

CONSILIUM UNDECIMUM.

Paralyſis ex lue Gallica.

PAralyſi laborat Illuſtriſſimus D. quæ repetitæ apoplexiæ invaſioni ſucceſſit. Horum morborum generatio eleganter ab Hipp. *de ratione victus, & de morbis expo-nitur*, quam Neoterici apoplecticorum cadaverum ſectionibus confirmarunt, inter quos præclariſſimus eminet Væpferus. Certum enim eſt naturæ ſtatu a corde perpetuo Sanguinem verſus Cerebrum pelli, & mediis arteriis glandulis corticalibus cerebri communicari, ubi earum ſtructura ſeparatur nerveus ſuccus, ſeu animalis ſpiritus, qui continuatis appenſis cerebri fibris tanquam propriis excretoriis vaſis delatus tenſionem in eiſdem excitat, & tandem pervadens continuatos nervos in membranas, & muſculos defertur pro ſenſu, & motu. Quoniam tamen ex morbo impeditur exarati ſucci debita ſeparatio, vel ejuſdem tranſmiſſio, hinc apoplexia, & ſuccedens paralyſis manifeſtatur; quotieſcunque enim ex ſtagnatione ſanguinis in arteriis, vel ejuſdem inquinata mixtura, aut ex obſtructione glandularum corticalium deficit neceſſaria ſucci nervei ſeparatio, laxæque cerebri fibræ undulationibus ab abjectis mediis nervis tranſmiſſis non amplius conſentiunt, & compatiuntur, unde ſenſuum internorum, & externorum læſio, hinc apoplexia. Et quia vigente natura ſanguis ulterius aliqualiter fluiditatem acquirit, vel cauſa fixans detruditur in determinatas nervorum origines, ideo evaneſcente apoplexia paralyſis ſuccedit, ut in caſu noſtro, in quo probabile eſt, ſanguinem coagulativis particulis, & acidis ichoribus a lue Gallica relictis facta forti fixatione circa corticem cerebri repetitam apoplexiam primo produxiſſe, & tandem facta metaſtaſi in cerebri, & medullæ medietate præſentem morbum manifeſtaſſe. Deficiente igitur debita nervei ſucci copia, vel ſaltem eodem inquinato a coagulativis particulis immixtis in muſculis, debita exigita tenſio non ſuccedit, unde motus localis vitiatur. Eadem etiam ex cauſſa ędematoſus in coxa ſecutus eſt tumor; particulę enim ſanguinis non debite attritæ, & fermentatę inter circulandum, defi-

ciente partium tono, & periſtaltico motu, ſenſim ſtagnarunt, unde congeſtio, & tumor. Perennis quoque Salivatio ab ichoribus acidis ſanguinem colliquantibus, & plus juſto glandularum ſalivalium ſtructuram laxantibus ortum traxit. Quare manifeſtæ apparent indicationes tollendi impedimenta, ſi quæ ſint, aut auferendi particulas coagulantes, ut inducta volatilizatione ſucci nervei debita quantitas gignatur, & libere ad omnes partes tranſmittatur, pro motu, & nutritione peragenda. Quibus ſatisfacere non ita facile eſt, ob energiam cauſæ, & eo magis, quia intercepta non exigua materiæ morboſæ portione, & congeſta ſub ædematoſi tumoris ſpecie, reliquæ partes adhuc priſtino tentantur morbo. Hoc tamen non obſtante, curationem proſequi expedit, ſaltem præſervationis gratia. Quapropter ante Æquinoctium leniatur alvus infuſione ſenæ facta in aqua fumariæ, vel cum pillulis aggregativis, & maſtichin., relictis potentioribus, quibus exagitata materia in caput ferri poteſt. Platerus laudat vomitum, factum tamen decocto ſimplici emolli., abſtinendo a mineralibus. Utiles erunt clyſteres emollientes, addita terebenth. maſticatoria; & rotul. ex ſale prunelle ore detentæ ſalivam derivare poſſunt, ſi quæ ſit. His peractis, pro alterante, & pro tollendis acidis particulis, quibus volatilizatio, & fluor prohibetur, laudarem jus pullæ chalybeatum alteratum fol. primul. veris, pentaphilo. beto. meliſſæ, & ſimilium, cui addantur guttæ aliquot tincturæ Chalybis; vel alind ſimile chalybeatum, hiſque utatur toto Septembris Menſe. Quo elapſo ex uſu ſit antimon. diaphor. rite pp. ad ʒi, cum quo aſſumat jus pullæ, in quo bull. primul. Ver. vel loco juris utatur ℥vi. aquæ Nuceriæ, in qua per noctem facta ſit in cinerario calido maceratio ſalſæ Parillæ pp. hocque remedium uſurpet 40. diebus. Interdum pro roborandis partibus ex uſu ſint rotulæ, paratæ ſcilicet raſura M. perla C. C. uſto, cran. human. ſuccin. alb. additis gutt. aliquot ſpiri. ſalis armoniac. cum Sacchar. cand. & aqu. Viol. Decoctum herbæ the, vel ejus loco uſus fol. ſalv. ſalutaris erit. In vino infundatur raſura Cran. humani, vel flores tiliæ ſalviæ, & meliſſ. in juſculis interdum coquantur. Opportunitate vindemiarum parari poterit vinum, infundendo ſalſam parillam, & lign. cydo. quod hyeme aſſumat. Circa localia, pars ſparalytica, & ſpina foveatur aqu. vita camphora., vel vino, in quo bull. Salvia, raſma. bettoni. ſambuc. & primul. veris, addito pauco ſulphure, vel ſale armoniaco, & caveat ab oleoſis, & pinguibus tranſpirationem impedientibus. Non horreo

reo tamen a vinaceorum uſu propoſito. Circa victus rationem parce vino utatur; Cibaria ſint facilis coctionis abſque condimentis acidor., & ſimilium. Motu locali, prout licet, exerceatur. Pauca hæc pro enervando tam contumaci morbo curſim indicabam, eaque ſubjiciebam., &c. Faxit Deus.

CONSILIUM XII.

Paralyſis.

PAralyſis morbo tentatur Religioſiſſimus D., qui poſt vehementem apoplexiam, in tota ſiniſtra parte cum oris tortura ſenſus, & motus privatione manifeſtatus eſt; coacervatis namque in ſanguine ex incongrua victus ratione atrabilaribus, ſtypticiſque ſuccis, excitata eſt primo circa autumnum quartana febris, a qua ulterius affecto ſanguine, deficientibus volatilibus particulis, fixationes, & interceptiones primo emerſere, a quibus dolores, & leves tumores ſubſecuti ſunt. Tandem ex incongruo generoſi vini uſu, & auſtrina aeris conſtitutione facto in capite horum decubitu, ut graphice exponit Hipp. 4. *de ratione victus*, & *ſecundo de morbis*, apoplexia excitata eſt per longum tempus durans. Protruſa tandem morboſa, & coagulativa materia in cerebri partem ad glandulas corticales, dexteræ videlicet partis, ut conjectari licet, impedita ſpirituum animalium, nerveique ſucci in continuatas cerebri fibras, & appenſos nervos tranſmiſſione, ſenſus, & motus læſio in altera corporis parte manifeſtata eſt. Juvat igitur hujus morbi generationem hypocondriorum vitium, unde labefactata prima coctione, nec rite depurato chylo ab acidis particulis tota ſanguinis maſſa ſenſim infecta eſt luxuriantibus ſtypticis, & coagulativis ſalibus, e quibus variis in locis coagulationes, & interceptiones ortum traxere. Ex his itaque manifeſtæ occurrunt indicationes, depurandi ſanguinem ab exaratis inquinamentis, tollendi fixationes, & interceptiones, volatilizandi ſanguinem, & firmandi partes. Quibus, ut ſatisfiat, curationem jam inchoatam proſequi expedit. Cum igitur ſanguinis miſſiones jam ſæpius repetitæ ſint, & ſimiles revulſiones, alterantia primo erunt uſurpanda. Laudamus interea pro volatilizando ſanguine, & firmando capite

jus

jus parvæ pullæ chalybeatum, & alteratum fol. herbæ paralyſis, primulæ veris, & ſimilium, cum quo aſſumat gutt. aliquot ſpiri. C. C. vel ſaltem ejus raſuram cum gran. aliquot lapid. Bezoartici, iiſque utatur per XV. dies. Tandem ex uſu ſit antimon. diapho. cum dicto juſculo ſaltem per 40. dies. At ſi non arrideret antimon. uſurpari poterit tinct. chalyb. vel ſimile chalybeatum remedium, quo partes acidæ abſumantur; hypocondria depurentur, & viſcera firmentur. Interdiu ex uſu ſint tabellæ paratæ ſuccino albo, ſacch. candito, & gutt. aliquot ſpir. Salis armoniaci. Circa localia, præter ea, quæ proponuntur a Præclariſſimo Viro, adminiſtrari poterunt in parte affecta lotiones aqu. ardent. camphorat; & ſimilium. Purgationes repetitæ exaratis pillulis ſuſpectæ nobis ſunt: educta enim ſeroſitate ſanguinis, ſtagnans materia magis figitur. Abſtineat a vino ſi poteſt, ejuſque loco utatur aqu. chalyb. vel altera floribus tiliæ, & foliorum ſalviæ. At ſi ex uſu ſit vinum, ſaltem chalybeetur, & temperetur aqua. Cum cibo utatur pulver. C. C. uſto, vel raſura Matris perlarum. Circa victus rationem tenuis ſit, & cibaria ſint facilis coctionis, omniaque juſcula parentur infuſione Chalybis. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM XIII.

Paralyſis ſiniſtri lateris poſt Apoplexiam.

NOtiſſima eſt affectio, qua Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Princeps nunc tentatur; poſt enim geminum apoplexiæ inſultum diverſarum partium paralyſis ſubſecuta eſt labii, præcipue ſuperioris, linguæ, & totius fere ſingulæ corporis partis cum levi quodam ſopore. Hujus morbi generationem graphice deſcribebat Hipp. 4. *de ratione victus*. Probabile namque eſt, acida quædam inquinamenta in toto luxurantia, quæ elapſo anno in thorace intercepta reſpirandi periodicam difficultatem inducebant, nunc ſenſim recollecta, vel facta metaſtaſi circa caput coagulationem, & ſtagnationem in ſanguine, & inde torporem in ſpiritibus animalibus excitaſſe; unde impedita nervorum tenſione, & ſpirituum motu, apoplectica ſymptomata primo emerſere; vigente tamen natura detruſis his in

deter-

determinatos nervorum exortus, ſiniſtri lateris paralyſi obſervatur. Tota itaque ſanguinis maſſa volatilibus partibus depauperata de facili ab acidis recrementis coagulatur: unde non ſolum in capite, ubi compreſſio ab externis non viget, & anguſta ſunt vaſa, debitum amiſit motum; cerebro, & nervoſo generi ſufficientem non ſuppeditat ſpirituum materiam, quin & viæ tam ſanguinis, quam nervoſi ſucci non undequaque liberæ ſunt, unde ſenſuum torpor, & ſopor, qui potius vigilandi impotentia eſt, quam verus ſomnus; hic etenim ex nervorum laxitate ortum trahit, impedito ſpirituum animalium fluxu, & refluxu.

Indicationes igitur erunt, quas loco ſuperius citato proponit Hipp. reſtituendi motum ſanguini, & ſpiritibus, depurandi, & volatilizandi ſanguinem, tollendi impedimenta, & tandem firmandi viſcera. Pro quibus aſſequendis plura, & plura adminiſtrata video remedia. Hipp. Celſus reliquique antiqui venæ ſectionem conſulunt etiam repetitam, ad hoc, ut communicato motu impedimenta tollantur, & reliquum ſanguinis nova acquiſita compage facilius refermentetur. Si itaque pulſus vigeat, & venæ circa caput præcipue turgeant V. S. in brachio repeti poterit, etiam in latere paralytico. Alterantium loco pro depurando, & volatilizando ſanguine per XII. dies præſcribatur C. C. limatura cum portione lapidis Bezoartici, aſſumendo ſimul jus pullæ chalybeatum alteratum cum flor. prim. Ver. Cherefolii, abſynth. & Betonicæ. Poſt uſum C. C. cum dicto lapide laudarem antimonium Diaphor. rite paratum cum expoſito ſuperius jure alterato, vel ſaltem caprino ſero, ſi præcipue leniendus eſſet thorax. Interdiu ex uſu ſit ſpir. vola. ſalis armoniaci mixtus cum ſyrup. Magiſtrali de duab. radicibus, & ſimilibus. Balſamum quoque ſulphuris juvare poterit paratum juxta deſcriptionem Boylei, quam proponit Schola Burgundica Tom. 6. tract. 9. diſſerta. 4. cap. 1. Cum cibo aſſumat pulverem ocul. cancr. vel Margar. pp. Neoterici laudant uſum herbæ The; vel ejus loco fol. ſalviæ opportuna erunt. Siniſtra corporis pars, & ſpina ipſa ſpir. vini ſoveatur, in quo ſoluta ſit Camphor. Vel ex uſu ſit Ung. loco ſupra citato exaratum; vinum ſuſpectum eſt; tartaro enim figit, & impetu in caput humores propellit. Ejus loco aqua Nuceriæ, vel liquore aliquo chalybeato utatur. Fluida quoque pro parandis cibis chalybe alterentur. Pauca hæc pro ſalute Eminentiſſimi Principis exarata Doctiſſimorum Virorum judicio libenter ſubjicio. Faxit Deus.

CON-

CONSILIUM XIV.

Paralyſis nervorum opticorum apparente geminatione objectorum cum Vertigine.

SÆva ſymptomata, quæ in Nobiliſſimo Viro hucuſque obſervata ſunt, ſufficienter indicant variam facultatis animalis læſionem. Primo enim poſt hemicraniam tribus abhinc menſibus dexteri lateris paralyſi, & aphonia iteratis inſultibus correptus eſt; quibus ſedatis, nunc vertigine, & turbata viſione, nam multiplicata apparent objecta, & cum totius corporis languore, & mærore vexatur. Contingunt autem exarata ſyptomata vitiato nerveo ſucco, vel impedito ejuſdem motu. Cerebri namque, & nervorum fibræ laxatæ, & nervei ſucci debita copia orbatæ primo aphoniam, & paralyſim manifeſtarunt; liberioribus tandem viis redditis, læſio in interioribus tantum ſenſibus ſuccedit: reſolutis namque nervorum opticorum fibris, & quaſi paralyſi affectis mutatur ſitus ita, ut tremores ibidem varie excitati geminent apparentiam objectorum, eorumque poſitionem varient. Difficile eſt autem aſſignare cauſam, qua ſuccus nerveus inficitur, vel ejuſdem propagatio impeditur. Cum tamen diuturnus præceſserit capitis dolor, conjectari licet, non ſolum nerveum ſuccum inquinari ſero aliquo ſalibus coagulativis turgido, quo volatiles particulæ figuntur; verum etiam ex copia ſeri, ſeu ſtagnantis lymphæ anguſtari poſſe arctos fibrarum tubulos, in quibus ſub dura matre, & in ventriculis concreta lympha, vel ſeroſa colluvies ſtagnat, & ita nativam non induci tenſionem. Hoc totum ex cadaverum ſectionibus conſimili affectione tentatorum probabiliter confirmari poteſt. Indicationes itaque ſunt inducendi libertatem in fibris cerebri, & nervis; tollendi, ſi quæ ſint, impedientes, & anguſtantes cauſas, & volatilizandi ſuccum nerveum. Ut igitur his ſatisfiat, curationem proſequi expedit, ne novo ſuccedente impedimento funeſtus ſubſequatur morbus. Cum igitur repetitæ ſint prudenter ſanguinis miſſiones, & epicraticæ evacuationes, frequentes corporis frictiones adminiſtrari poterunt, & alterationi incumbendum erit. Pro excitanda volatilizatione bulliat in

in juſculis , & pulmentis quotidianis limatura C. C. & raſura eboris . Conveniet pariter juſculum alteratum ſalvia , Beton. primul. ver. & radic. gram. cum quo aſſumat anti-mon. diaphor. quibus diu utatur. Interdum uſurpet tabellas pp. ſuccino albo , raſur. ebor. & matr. perla. ſem. peon. ſacchar. alb. & aqu. Meliſſ. & irrorentur ſpir. Sal. armon. At ſi urinæ copioſæ erumpant , ex uſu ſit interdum ſyrup. de alth. cum gutt. aliqu. ſpiri. ſalis dulcif. cum juſcul. altera. radic. gram. Maſticatoria quoque blanda uſurpari poterunt pro minuendo ſero . Victus ratio ſit valde , & quantum fieri poteſt tenuis , & fluidis ut plurimum utatur ; Caphè a cibo potari poterit . A vino, ſi poſſibile eſt , abſtineat , vel ſaltem parce utatur . Cum cibo ſæpe aſſumat gelat. C. C. Pauca hęc habebam pro ſalute integra Nobiliſſimi Viri , eaque prudenti acrique Judicio Doctiſſimorum Medentium ſubjiciebam . Faxit Deus, &c.

CONSILIUM X V.

Aphonia, torpor phantaſiæ , ſenſuum internorum, & memoriæ læſio, paralyſis ſphincteris veſicæ, & ani, cutis infectio, & Apoplexia.

Varia ſymptomata , quæ in Nobiliſſimo Viro obſervantur , abunde demonſtrant læſionem facultatum principum , quibus celebrantur ſenſus præcipue interni , & motus . Et licet difficillimum ſit , & pene impoſſibile , mechanice exponere , qua ratione tam mirę operationes contingant in nobis , ex his tamen , quę in cadaveribus conſimilibus affectionibus olim tentatis obſervantur, probabiliter philoſophari licet , hęc omnia contingere congeſta copioſa , & morboſa lympha circa cerebrum , vel ſaltem intra ejuſdem corpus ; quotieſcunque enim in glandulis cerebri corticalibus impeditur nativa nervei ſucci ſeparatio , vel mixtura circum ſtagnantis ichoris inficitur , neceſſario ſenſus, & motus oblæduntur , unde aphonia, & torpor . Ubi autem cerebri fibrę ex comprimente lympha tremorem ſubire nequeunt , quo externorum ſenſuum motiones , & undulationes propagantur , animęque objiciuntur ,

& abſente etiam motione imperio animę excitantur, tunc neceſſario phantaſia, reliquique interni ſenſus, & precipue memoria vitiantur. Ab eodem pariter fonte originem trahunt reliqua ſymptomata, quæ præcipue in involuntaria ſecum, & urinæ excretione obſervantur. nervus enim, qui ad viſcera imi ventris propagatur, cum non debita nervei ſucci copia irroretur, paralyſim in ſphinctere manifeſtat. Exaratam conjecturam firmant morboſæ affectiones, quæ olim pregreſſæ ſunt; apoplexia ſcilicet, & cutanea infectio cum tuberculis; hę namque ſupponunt copiam particularum, quę analogiam habent cum vitriolo, a quibus tractu temporis primo congeſtiones, oppilationes in capite factę ſunt, unde remorata, & vitiata nervei ſucci ſeparatione, apoplecticus inſultus ſubortus eſt; deinde vigente natura interceptæ in glandulis cutis hujuſmodi particulæ morboſæ puſtulas, & tubercula manifeſtarunt, tandem facta circa caput ſtagnatione, fatiſcente natura iterum apoplexia cum principum facultatum læſione ſubſecuta eſt.

Indicationes igitur Medicæ ſunt debitam fluiditatem promovendi, auferendi inquinamenta, quibus concretiones, & congeſtiones fiunt, derivandi ichores ad propria emunctoria, & præcipue ad urinam, firmandique caput. Ut his igitur fatisfiat, clyſteres emoll. ex uſu ſint. Maſticatoria convenient, & precipue rotulæ ex ſale prunelle, vel papyro promoveatur ſalivatio. Alterantium loco aſſumet jus chalybeatum pullæ junioris, in quo decocta ſint fol. primul. ver. beton. pentaphilo. cui add. gutt. aliquot ſpirit. ſal. armon. hoc utatur per XV. dies, deinde ex uſu ſit antimon. diaphor. ad gra. XX. cum quo aſſumat juſcul. altera. fol. meliſſ. radic. grami. diuque his utatur. Interea interdiu aſſumat rotulas paratas raſ. matris perl. ſem. peon., & ſuccin. albo optime contuſo, addendo aliquot gutt. ſpir. ſal. armon. At ſi urinæ copioſe fluant, peractis ſuperius expoſitis præſidiis terebynthina julebizata, vel ſpirit. ſalis exhiberi poterit cum juſculo altera. radic. gram., & malvæ, dummodo tamen veſica tunc paralyſi non laboret. Vinum infuſ. flor. tiliæ, vel C. C. alteretur, & decoctione the interdum utatur. Victus ſit mediocris, & carnes ſint facilis coctionis. Vitet cibor. varietatem; parce cęnet. Abſtineat ab acidis, auſteris, & aromaticis. Pauca hæc in tam contumaci, gravique morbo indicabam. Faxit Deus, &c.

CON-

CONSILIUM XVI.

Paraliſi delle parti inferiori, e delle Genitali, ottuſità di mente, e gravezza di Capo dopo la podagra.

I Graviſſimi ſintomi, che s' oſſervano nell' Illuſtriſſimo Paziente, moſtrano, che la materia Podagrica fiſſata ne' nervi della cauda equina, e in quei, che uſcendo dalle vertebre ſi propagano alle parti inferiori per il moto leva la traſmiſſione della dovuta quantità del ſugo nerveo al muſcolo delle dette parti, ed ai genitali ſteſſi, anzi che parte di detta materia podagrica ſtagnando nel Capo, ed impedendo la tenſione delle fibre del Cervello cauſa l' ottuſità della mente, e la gravezza del Capo. L' affetto morboſo, e confermato con l'uſo de' rimedj volatili, e potenti potria cauſare l'apopleſia nel cervello, e nelle parti eſtreme convulſioni; onde non ardiſco proporre rimedj. Le Terme, e locali ſimili, quando l' offeſa dipende da umori craſſi, e lenti, ſogliono giovare; ma quando il corpo è gracile, e la materia è diſpoſta a ricever moto dalle viſcere, paſſa ai vaſi ſanguigni, e da queſti ai nervi, e però giudico ſoſpette le acque minerali ſulfuree, le quali benche poſſino corroborare le parti inferiori, poſſono però offendere le viſcere, e ſpecialmente il Capo. Mi valerei delle vinaccie a ſuo tempo, dell' applicazione delle viſcere d' animali calde, e ſimili, e loderei l' uſo dello ſtibio Diaforet. e la frequente bollitura della limatura del C. di C. nei brodi.

CONSILIUM XVII.

Dexteræ manus tremor, vigilia contumax, calor internus Capitis, totius corporis laſſitudo, & macies, &c.

PRæcipua ſymptomata, quæ in Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Præſule obſervantur, ſunt dexteræ manus tremor, vigilia contumax, & internus capitis dolor, præcipue in vertice, quibus præceſſere miliaris herpetis in inferioribus partibus manifeſtatio, & frequenter febres bilioſæ. Ex his igitur philoſophari licet, in cerebro congeſtionem factam eſſe ichorum, & particularum acrium analogarum herpeti; quæ jam in extremis corporis partibus obſervabantur. Exaltati enim irritantes ſales in ſanguine, circulatione media in anguſtia corticalium glandularum, vel ſatius meningum circa corticem, vel ſaltem circa membranas intercipiuntur, ibidemque fixantur, unde pondere, & figura perpetuam irritationem pariunt in cerebro, ex qua ſolicitatur ad motum, & ita indeſinenter nerveus ſuccus in continuatos nervos exprimitur, quo perennat eorumdem tenſio, & conſequenter vigilia. Calor quoque capitis ex levi etiam cauſa intenſior redditur; nam ex congeſtione felix ſanguinis circuitus vitiatur, unde cum eodem rithmo venæ non revehant propulſum ab arteriis ſanguinem; ſtagnat hic aliqualiter præcipue in finibus per meſſoriam falcem excurrentibus, & ita caloris ſenſum ſua præſentia auget. Succedit pariter tremor manus a negotiis, & ſtudio, dum ſcilicet irritantium ſalium portio ſucco nerveo mixta, facto impetu, determinatam nervorum propaginem ſubit, conſentiente, ac inducta ſenſim glandularum corticalium cerebri laxitate, ut paſſim obſervamus accidere in ira, & furore, turbata ſanguinis compage, & motu. Subſequitur tandem totius corporis laſſitudo, & aliqualis macies; volatiles enim particulæ continua vigilia diſſipantur, & exaltatæ in ſanguine erodentes particulæ a partibus ipſis nutrimentum abradunt. His accedunt coctiones in viſceribus turbari, unde etiam nativæ excrementorum eliminationes non abſolvuntur. Exaratæ enim morboſæ affectiones foventur vitio

ſuc-

ſuccorum imi ventris; hujus namque nativa ſtypticitas probabiliter ſylveſtrium partium copiam, & bilis ineſſicaciam oſtendit, unde obturatis inteſtinalium fiſtularum orificiis, refluus a toto humor in inteſtina non admittitur, & conſequenter impedita debita excrementorum præcipitatione, impurus chylus ſanguini affunditur; hinc congeſtiones olim in cute, nunc in cerebro manifeſtantur, quæ omnia ex varia ſolum mutatione, & difficilibus itineribus œconomiam corporis labefactantibus ortum traxere, &c.

Indicationes igitur ſunt manifeſtæ, depurandi ſcilicet ſanguinem a prædictis inquinamentis, tollendi congeſtiones factas, & irritationem ut inducta alterna requie coctiones perficiantur, & corpus renutriatur, pro quibus aſſequendis curationem proſequi expedit. Leniatur itaque alvus clyſteribus emollientibus Lacte vacc., vel ſucco hordei, aut oleo violar. Caveat a ſolventibus, ſolaque Caſſia cum conſerv. viola. ex uſu ſit. Pro alteratione humorum laudo ſuccos depuratos lactu., borag., lapat., Matris viol. & fuma., quibus per menſem utatur; deinde potet ſerum Caprile cola., cui addi poterit ℥ 1. ſalis abſynth., vel libere fluentibus urinis ſpir. ſal. dulcif. Urgente aeris caliditate conveniet aqua Nuceriæ blando vehiculo, ſyrup. 5. de althea, vel liquir. Balnea aquæ dul. toti corpori, & capiti etiam convenient; & nunc a cœna parentur ex aqua alter. foliis lactu., nymph., papav. albi, ſalicis, & ſimilium pro pedum lotione. Frictiones quoque in his interdiu fiant. Si enim antiqui herpetis eruptio manifeſtaretur, caput liberaretur. Interea emulſiones ex ſeminibus cucurbi. amygd. dulci., quibus ſemina papave. albi interdiu addi poterunt; frequenter uſurpentur. A cœna conſer. Viola. cum raſur. Matr. perlar., & ocul. Cancr. ex uſu ſit. Cum cibo aſſumat. Gel. C. C. Pulmenta in lacte vaccino, ex oryza. hord., & conſimilibus interdiu parentur. Animi, & corporis motus vitet, &c.

CON-

CONSILIUM XVIII.

Motus Convulſivi.

Motibus convulſivis torquetur Illuſtriſſima, & Religioſiſſima Monialis. His præceſſit hypocondriaca affectio, & nunc præcordiorum anguſtia, & ſudor univerſalis concomitantur. Hujus morbi generatio, & cauſæ ita eleganter, & docte a Præclariſſimo viro exponuntur, ut meæ non egeant indagine. Eſt igitur probabile ex inquinato nerveo ſucco, & ex ejuſdem irregulari a cerebro in continuatos nervos propulſione involuntarios, & perennes ſuccedere in muſculis motus, & in viſceribus contractiones. Inquinatur autem nerveus ſuccus mixtura ſalium ſylveſtrium, qui ab hypocondriis deducuntur. his enim laxata tenella ſtructura corticalium cerebri glandularum, una cum volatilibus, blandiſque nervei ſucci particulis cerebri fibras ſubeunt, & tandem in appenſos muſculos exonerantur: unde inducta irritatione, & tenſione involuntarium excitant motum in diverſis, præcipuiſque muſculis, & in carneis fibris, a quibus vaſa ſanguinea, & præcipue eorum extremitates ambiuntur. At quoniam voluntarius muſculorum motus dependet in naturæ ſtatu a determinata nervei ſucci a cerebro in muſculos tranſmiſſione; hinc eſt, quod ex tumultuaria irritatione facta a ſylveſtribus, & aculeatis ſalibus in cerebri ſubſtantia, & meningibus involuntaria, & irregularis ſuccedit exarati ſucci immiſſio; unde motus excitatur, qui præter voluntatis imperium durat; ſuccedit autem præcordiorum anguſtia convulſa carnea portione, qua vena cava prope cor donatur; unde cum debita ſanguinis quantitas cordi non ſubminiſtretur, pulſus obſcuratur, aliaque manifeſtantur ſymptomata. Reſpiratio pariter vitiatur convulſis muſculis intercoſtalibus, & ſepto tranſverſo. Turbata igitur viſcerum & vaſorum compage, & motu, fluida quoque conſentiunt, hinc retardato ipſorum locali motu, immutatæ eorundem inteſtinæ ſeparationes ſuccedunt, & præcipue in glandulis miliaribus cutis, a quibus univerſalis erumpit ſudor. Ex copia itaque ſalium ſylveſtrium, & ex perennitate affectus probabile eſt, glandularum cerebri minimam

com-

compagem adeo labefactatam eſſe, hiantibus plus juſto ſeparatoriis porulis, ut morbus cerebri idiopathicus jam redditus ſit. Solet in conſimilibus affectibus, ut in cadaveribus obſervatur, ſerum, vel gelatinoſa lympha circa meninges, vitiatis conglobatis glandulis, ſtagnare, quorum activitate, velut ex aqua forti, cerebrum perpetuo ſolicitetur.

Ex his patent Indicationes depurandi ſanguinem, tollendi irritationes, & congeſtiones, derivatis alias ichoribus, præcipue ad vias urinæ, & firmandi caput, ne tranſitus fiat ad funeſtiſſimos morbos. Curationem igitur proſequi expedit, & pro alvi lenitione, & tollenda irritatione ex uſu ſit frequenter ol. amygd. dul. ext. abſque ign. quod pro cæna etiam ſæpe potari poteſt. Syrup. etiam de Cych. cum Rhabarba. utilis erit; & Clyſteres ex emollien. & ol. amyg. dulc. & viol. opportuni erunt. Cavendum a purgantibus, quibus motus humoribus communicatur. Pro alterante laudo uſum ſeri caprini col. tantum ad ℥vi. cum gelat. C. C. per 20. dies, deinde potet lac aſinæ, cui miſceat ʒ 5. ſapon. Venet. vel ℥i. ſyrup. de ſucco violar. aut aquæ violar. Cum cibo pariter aſsumat mixturam ex raſura Cran. humani matr. perlar. Cryſtal. mont. pp. ſtibio diaphor. & ſale prunelle; At ſi urina libere fluat, ad derivandos ſalinos ichores ad vias urinæ exhiberi poterit terebenth. julebi. cui ſuperbibat jus alterat. ibiſco. viola. malva, & meliſſa. Abſtineat a vino. Emulſiones ex amygd. dulcibus etiam recentibus paratæ in aqua viol. vel ceraſo. nigro. quibus interdiu papaveris albi ſemina addi poterunt, frequenter ex uſu ſint. Caphè potus familiaris ſit. Exigua hæc curſim indicabam, &c. Faxit Deus.

CONSILIUM XIX.

Motus convulſivi cum involuntaria fæcum & urinæ excretione, ac Viſus læſione.

SÆviſſima, & multiplicata ſunt ſymptomata, quæ in Nobiliſſima Puella hucuſque obſervata ſunt. Primo enim convulſivi motus muſculorum, & membranarum oculi cum atroci capitis dolore, & peculiari irritatione omnium partium nervoſarum manifeſtati ſunt; qui autumno adaucto,

ĉto, juxta lunares motus reviviſcebant ; & tandem Opiſthoto-nos ſpeciem induxere , cum reſpirandi difficultate , involuntaria fæcum , & urinæ excretione , & faucium , ac muſculorum forti contractione . Nunc ſedatis doloribus , involuntaria excrementorum eliminatio perdurat , ſicut & impedimentum motus , & duobus abhinc menſibus inopinata viſus privatio , nullo exterius in oculi ſtructura vitio apparente , præter pupillæ dilatationem , perennante etiam convulſione . Hæc itaque convulſionem indicant ; cujus cauſæ cognitionem fere deſperatam cenſent multi . Cum autem muſculi afficiantur in hoc morbo , ex eodem mechanico inſtrumento excitatur morbus hic , a quo in naturæ ſtatu localis motus celebratur , cum hac diſtinctione , ut in hoc imperante natura motus ſuccedat , & ceſset ; in illo autem ſuſcitetur , & perennet , nolente etiam animali . In hac igitur affectione probabile eſt , cerebrum una cum membranis ab irritantibus ſalibus , & ichoribus laceratum nerveum ſuccum tumultuarie propellere , mediis nervorum continuatis tubulis in muſculos , & carneas fibras ; unde involuntarii motus emanant , a quibus partes a ſuo ſitu dimoventur , & labefactato utroque ſphinctere , urina , & alvi excrementa , contractis inteſtinorum , & veſicæ circularibus fibris , involuntarie profiliunt . Succeſſit autem privatio viſus , quia contractis meningibus opticum nervum ambientibus , primo dolor acutus excitatus eſt in oculo ; deinde medullaris ejuſdem nervi ſubſtantia irritata , & convulſa expanſam retinam intra retraxit , & ejuſdem filamenta a ſua compage dimovit ; unde ob rigiditatem non conſentiunt luminis titillationi , & motioni . Laxatur quoque quaſi paralitycum ligamentum ciliare morboſis , & ſalinis ichoribus turgidum ; unde ſpecies quoque copioſo lumine deturbatur : hinc viſionis defectus . Morboſæ hujus affectionis cauſa fortaſſe refundi poteſt in impeditam capitis tranſpirationem , & tandem in partium intra cranium contentarum conſolidationem : quare congeſto circa meninges , & corticem cerebri acri ſero , ſtructura minima vitiata eſt , ac ſubingreſſis ſalibus corticalium glandularum pori plus juſto aperti ſunt , heterogeneis corporibus aditum permittentes : unde nerveus ſuccus heterogeneus redditus eſt , qui ex perpetuo ſtimulo copioſius , & extra naturæ leges propellitur , adjuvantibus etiam motum præſidis activioribus .

Quapropter Medicæ Indicationes ſunt , tollendi irritationes , depurandi fluida , & firmandi partes affectas . Quibus ſatiſfacere difficile eſt ob vitiatam in minimis ſtructuram , & mo-

motum fluidis impreſſum . Si itaque opus ſit alvi laxatio-ne, ex uſu ſit ol. amygd. dul. & clyſter. ex lacte vaccino Chalyb. & jure hordea. & ol. violar. vel amygd. dulc. & caverem a Scamoneatis, & irritantibus, quibus humoribus orgaſmus, & nervoſis partibus vellicatio conciliantur. Duplex eſt via, qua ichores, & ſales irritantes diſſipantur; aut enim per tranſpiratum eliminantur, vel inconſpicui redduntur. Hucuſque, quia prima methodus ex uſu fuit nullo cum levamine, poſterior via calcanda erit. Laudo igitur per aliquot dies ſerum Capril. colat. tantum cum gela. C. C., deinde lac vac. coctum cum 4. parte aqu. violar. per 40. dies. Nonnulli utuntur lacte aſini, cui miſcent portionem ſaponis Veneti. Interdiu aſſumat tabel. paratas raſ. ebor. Cran. huma. ter. ſigilla., oculis cancro., ſacchar. candit., & aqua violar. Cum cibo aſſumat gelat. C. C., & frequenter emulſiones ex ſeminibus cucurbi. amygd. dul. pręcipue recentiorum, & nondum exſiccatarum, quibus interdiu ſemi. papa. albi addi poſſunt. Syrup. etiam de ſucco violar. & ejuſdem confer. juvabit. Circa localia, oculor. fiant lotiones cum aqu. fabro. in qua bull. fol. plantagi. conſolid. & ſamb. Circa victus rationem caro agnina laudatur. Pulmenta fiant in lacte vaccino, vel ovino ex hordeo, oriza, vel pane contrito. Pro potu ex uſu ſit aqua Nuceriæ, in qua ſolvatur terra ſigillata.

CONSILIUM
X X.

Melancholia, & Epilepſia.

Convenio cum Doctiſſimis Viris, Illuſtriſſimum Comitem duplici laborare morbo, Melancholia ſcilicet hypocondriaca, & Epilepſia: illam indicant timor, & mætor ſine cauſa, & parentum conſimile vitium; hanc vero abunde demonſtrant ſigna eleganter in eruditiſſima Scheda expoſita. Succedit igitur Melancholia hypocondriaca quotieſcumque coctio prima non rite abſolvitur, nec debite dulcuratur chylus, ſed cum inquinamentis acidis non præcipitatis vaſa ſanguinea ſubit, unde communicato toti maſſę Sanguineæ vitio, diverſa promit ſymptomata. Vigente namq; natura, particulæ acidæ circulatione media in cute jam in-

terceptæ cutaneas puſtulas excitarunt, vel facta ſibi per nares via foras cum ſanguine eruperunt, deinde congeſtæ in capite vellicando fibras cerebri, remorando nervei ſucci propagationem, vertiginem produxere: poſtremo inducta partis debilitate, facta in cerebri, & nervorum tubulos irruptione, novam affectionem, Epilepſiam videlicet, manifeſtarunt. Succedit enim hic morbus, prout probabiliter philoſophari licet, quotieſcumque vitriolatæ, & arſenicales particulæ in corticales cerebri glandulas, & continuatos nervorum tubulos excurrunt: quapropter cerebrum ipſum neceſſario irritatum convellitur, & ſollicitatur ad continuam, & intercipientem ſucci nervei propagationem; & exinde elongati nervi, & appenſi muſculi ad tumultuariam, & involuntariam contractionem compelluntur: unde nil mirum, ſi principes facultates oblædantur. Convulſis ſcilicet cerebri fibris; etiam reliqua viſcera afficiuntur turbato fluidorum motu, & compage. Succedit autem horrendum hoc ſymptoma; ut docte exponitur à præclariſſimo Viro, quoties mens intenta cerebri vias laxiores reddit. Cauſæ hujus morboſæ affectionis ſunt probabiliter vitiata glandularum imi ventris fermenta, quæ debitam ciborum ſolutionem, & præcipitationem non inducunt, ſed ſua aciditate inquinant chylum, a quo ſanguini, & reliquis ſecundariis ſuccis conſimilis labes communicatur. Lympha pariter eodem vitió peccans earum diathefim perennat, & auget, atque in ſemine vitium enervata viſcerum fermenta primo reddidit, a quibus ſtato tempore læſiones emanant.

Indicationes igitur manifeſtæ occurrunt depurandi ſanguinem ab inquinamentis acidis, auferendi irritationes, & convulſiones, firmandique partes affectas, & viſcerum fermenta. Quibus ut ſatisfiat, primo vere curatio inſtitui poteſt. Et primo pro lenienda alvo uſurpet oleum amygd. dul. extra. 5. ig., vel ſaltem flor. Caſſ., vel analogum leniens, blandum tamen; cavendo a pillulis, & Scamoneatis, reliquiſque irritantibus medicamentis. Alterantium loco laudarem uſum ſer. capril. colat. ad ℥vii. ſingulo mane per menſem, cui tranſacto decimo die, addat tincturam chalybis; vel aſſumat cum expoſito ſero ℈ i. Croc. Mart. aperit. His enim elui poſſunt inquinamenta hypocondriorum, & particulæ acidæ abſumi. At ſi non arrideret ſerum Capr. aſſumi poſſunt ſucci depura. fumar. borag. rutæ, & ſimili; quibus alcalicæ inſunt particulæ, addito etiam bolo ex croco Martis, vel alio Chalybeato. Interim vena brachii aperiatur. His peractis, & mundificatis hypochondriis, pro dulciſi-

cificandis humoribus tentandus eſt uſus lactis aſinini, adden-do quartam partem aquæ viol. & ſi primis diebus non tol-leretur, intermittat ejus uſum per aliquot dies, deinde ite-rum repetat, donec natura aſſueſcat. Nonnulli in conſimi-li affectione ortum trahente a vitiatis hypochondriis la-cti addunt ℈ʒ. ſaponis Veneti, & vaccino etiam lacte utun-tur. Aſinini, vel Vaccini itaque lactis uſus longo tempore uſurpetur. Interea frequens ſit uſus conſer. viola., & emul-ſionis ex amygd. dul. addit. interdum ſemin. papaver. albi Ante cibum interdum utatur gelat. C. C. Inter. Specifica Crato commendat uſum Cinnabaris nativi, cui addi poterunt Semina peoniæ, ſuccinum album ; cran. human. & Cryſt. mont. pp. Abſtineat ex toto a vino, & potet ejus loco aquam, in qua flores tiliæ decoquantur. Vehementes cor-poris, & animi motus vitentur. Victus ſit mediocris, Car-nes ſint facilis coctionis, ut plurimum elixæ, & præ reliquis laudantur agninæ. Caveat ab aromaticis, acribus, acidis, & flatulentis. Pauca hæc pro enervandis tam contumaci-bus, & Herculeis affectionibus indicabam, atque ſubjicie-bam recto medentium judicio. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM XXI.

Melancholia.

Dai ſegni eſpoſti nella detta Scrittura ſi può argomen-tare, che il Nobile Paziente ſia travagliato da una Melancolia, cioè da un delirio ſenza febre con timo-re e meſtizia, immaginandoſi d' aver molti mali, che non ha. La generazione di queſto male è oſcuriſſima ; poichè la natura nel cervello eſercita gli atti della fantaſia, e degli al-tri ſenſi interiori con un modo, che per anche è ignoto, nè ſino ad ora è manifeſta la Meccanica, con che ſi ſer-ve, per fare così mirabili azioni, e conſeguentemente la generazione de' mali dell' immaginatione, e ſomiglianti : perlochè non ſi può ſpiegare, che con apparenti congiettu-re. La ſtruttura del Cervello pare, che ſia un pezzo di fi-bre, o fiſtole ripiene di un ſugo, che ſi ſepara nella cor-teccia, dove ſono radicate. Queſte moſſe mediante la conti-nuazione de' nervi dagli organi eſterni, e ſucceſſivamente

dagli oggetti eſtranei, ricevono un tremore, che comunicato con un modo ineffabile all' anima, eccita in eſſa le paſſioni. E perche gl' iſteſſi movimenti ſi poſſono communicare ſenza gli oggetti eſterni dal moto, o qualità del ſugo nerveo, ovvero da altri corpi, che toccano dette fibre; quindi ne naſce, che ſenza mozione eſterna l' anima può ſentire, ed in noi ſi poſſono eccitare quellé paſſioni, che producono mediante i ſenſi eſterni gli oggetti fuora di noi. Suppoſto queſto, eſſendo veriſimile, che i ſughi acidi, e privi di parti volatili non poſſino dare alle fibre del Cervello la dovuta tenſione, ma fiſſati in eſſo mantenghino una perpetua irritazione, ne ſuccede, che queſti poſſino coſtituire la radice morboſa del merore, e timore continuo; inſegnando Ippo. *de dieta*, che *qualiacumque patitur corpus, talia videt anima viſu jam concluſo*. La copia de' ſughi acidi nel Nobile Sgnore viene indicata dalla febre quartana, due anni ſono manifeſtata, dalla vita ſedentaria, nella quale non ſuccedendo la naturale traſpiratione, quegli inquinamenti acidi riportati dalle vene, finalmente intercetti nel cervello hanno cauſato una congeſtione, dalla quale reſta viziato il ſugo nerveo, ed impedite, e vellicate le fibre del Cervello. Poſſono anco ſomminiſtrare copia di umori acidi gli ipocondrj, mediante la corruttela de' fermenti dalle glandule del ventre inferiore, e ſpecialmente del pancreas. Sicchè le indicationi ſono di levare gl' inquinamenti acidi fiſſati nel Cervello, depurando i ſughi dell' ipocondrj, di volatilizare i fluidi, e di promovere la traſpiratione. Per ottenere queſti fini, ſono ſtati praticati prudentemente molti remedj, ed altri vengon propoſti. Nella Chirurgia lodo la miſſione del Sangue fatta nel braccio, come anco quella della ſteſſa parte offeſa. Circa ai ſolventi, i ſoli lenienti piacevoli baſteranno, ſtante che i violenti poſſono portare nuova fiſſazione, ed irritatione nelle parti: onde anche i Cliſteri faranno più ſicuri fatti con emollienti, e ſenza rimedj ſtimolanti. Per mondificare gl' ipocondri, e render i fluidi meno acidi giovano i ſughi depurati d' erbe, e particolarmente della boragine, fumoterra, pinpinella, e ſimili, aggiungendovi il croco di Marte, o altro rimedio calibeato. A ſuo tempo faranno giovevoli l' acque termali, e ſpecialmente le acidole propoſte. Sopra tutto gioverà il bagno d' acqua dolce, col quale ſi depura la maſſa dei fluidi, augmentandoſi la traſpirazione, e ſi dà moto agli umori. Nel reſtante della ſtate loderei l'uſo del ſiero Caprino, colato, nel quale la notte ſi potrà macerare l' aſſenzo, o la

bora-

boragine. I croſtacei, o gli occhi di granchi ſi potranno uſare prima del cibo. Il moto locale, e la converſazione ſaranno utili, come la mutazione dell'aria. Il vitto ſia mediocremente umettante, e di facile cozione; ed i fluidi ſi dovranno acciarire. Queſto è quel poco, che per conferma di quanto viene propoſto poſſo accennare, &c.

CONSILIUM XXII.

Melancholia.

Melancholia tentatur Illuſtriſſimus D. ſine cauſa timens, cum labefactata imaginatione, & civilis converſationis odio, ita ut mortem appetat. Ab infantia proclivis fuit ad lacrymas; tertio ſuæ ætatis anno variolarum copiam paſſus uſque ad X. annum febriculis, & fluxui alvi obnoxius fuit; Duodecimo pariter anno in pollice manus ſpinam ventoſam expertus eſt; decimo ſexto deſtillatione ad fauces, & pectus vexatus fuit. Studiis invitus operam dare coactus impedito conjugali ſtatu, quem ſumme expetebat, in mœrorem, & timorem incidit cum hypochondriorum tenſione. Succeſſit porro melancholia, prout in re tam obſcura philoſophari permittitur, labefactata ſtructura minima cerebri, vitiataque tenſione fibrarum ejuſdem, & inquinato nerveo ſucco. Etenim in naturæ ſtatu volatilis, ſummeque defæcatus nerveus ſuccus a corticalibus glandulis perpetuo ſeparatur, qui per fibras cerebri tranſductus in iiſdem nativam tenſionem excitat, ut objectorum per nervos propagatis undulationibus conſentiant, & remittantur. Ubi autem, ut in caſu noſtro, ſeparatus ſuccus nerveus acidis ſalibus ſcatet, non omnimoda volatilitate gaudet, & in iiſdem fibris remoratus irritationem parit, earumque nativum tremorem, & remiſſionem impedit, unde perennis ſubſequitur convulſio, a qua mens angitur, & ſpecie timoris torquetur. Inquinatur nerveus ſuccus a tranſductis acidis ichoribus in toto luxuriantibus; & præcipue in hypochondriis; horum enim colluviem abunde oſtendunt copia olim variolarum, nunc febriculæ cum alvi fluxu, deinde ſpina ventoſa, deſtillationes, & tandem hypocondriorum

affe-

affectio. Hanc quoque labem auxere ſtudia, invitum vitæ genus, & alia ſimillima. quibus, turbatis nervis, humorum etiam motus localis, & inteſtinus labefactatus eſt, ita ut nativa melancholica temperies adaucta, morboſa reddita fuerit. Genita igitur in hypochondriis acida inquinamenta, & medio Chylo Sanguini communicata, & per arterias corticalibus glandulis ſubminiſtrata earundem porulos plus juſto aperientia eſſentialem in iiſdem labem conſtituere. Quapropter Medicæ Indicationes ſunt depurandi fluida ab acidis ſalibus, tollendi irritationes, & congeſtiones in cerebro, & viſcera firmandi. Curationem itaque proſequi expedit, & pro lenienda alvo uſurpari poterit infuſio ſenæ, & tartari, in aqua meliſſæ, aut fumariæ; clyſteres etiam emollientes frequenter injiciantur, & cavendum a catharticis, cum ex his major fiat confluxus ad partem affectam. Pro depuratione humorum convenient ſucci depurati fumar. borag. & meliſſæ, quibus addatur tinctura chalyb. par. ſucco pomor. vel crocus martis; deinde utatur ſero Caprino, in quo bull. pulpa tamarind., & tandem potet lac aſininum cum ſtibio diaphor. Interdiu aſſumat tabellas paratas: ocul. cancror. tartaro vitriolat. Sale prunelle, & confect. alcher. cum ſaccharo candito, & aqua Meliſſæ. Vinum alteretur infuſione Chalyb., vel ſaltem radic. borag. Cum cibo uſurpet ocul. cancro., aut raſur. matris perlar. Crocus cum cibo utilis erit. Potus the opportunus erit. Diæta Lactea a Uvepphero laudatur. Frictiones totius corporis convenient. Urgente vigilia, balneum aquæ dulcis ex uſu fit. Quoad victus rationem, & reliqua, ita ſecundum rationem inſtituta video, ut meo non indigeant conſilio. Pauca hæc curſim innuebam, pro integra ſalute Nobiliſſimi ægrotantis. Faxit Deus, &c.

CON-

CONSILIUM XXIII.

Ophthalmia, & Icteritia.

MOrboſa affectio, qua tentatur Illuſtriſſimus, & Nobiliſſimus patiens, licet ſenſibus obvia occurat: obſcura tamen circa ſedem affectam, ſuæque generationis modum non parum latitare videtur. Si enim docente Hippocrate, *Natura Corporis eſt principium ſermonis in arte Medica*, cum adhuc nobis non conſtet, an humor aqueus perenniter fluat, & refluat, & a quibus fontibus ſeparetur; an a ſolis vaſculis, an ope glandularum, quæ interius, vel exterius locantur; & poſtremo an ophthalmia urgente interius quoque aqueus humor inficiatur, ideo nobis ſolidum deeſt Philoſophandi Principium. Ut autem probabili procedamus via, ex prægreſſis morbis, & ſymptomatibus a Præclariſſimo Viro indicatis conjectari licet; in Nobiliſſimo Viro ex repetitis ophthalmiæ inſultibus corneæ compage ita conſtituta, ut advenientes particulas acidas, & eroſivas intercipere poſſit ex relicto quaſi folliculo, & cum ſub unitate ſuperficierum locari nequeant, aſperam, & opacam reddunt ejus ſtructuram, quare laxatis, & plus juſto hiantibus fortaſſe meatibus, & cribris, quibus aqueus humor ſeparatur, & admittitur intra corneam, inquinamenta quoque ſubingrediuntur, quibus luminis rectus prohibetur tranſitus. Hæc enim conglomerata ſubſiſtunt, & tractu temporis penitiori contractu ſolideſcunt. Hoc totum innuere videtur ophthalmiæ generatio, quæ non ſimplici ex affluxu copioſo excitatur ita, ut arteriæ in vitio tantum ſint, ſed contingit etiam ex defectu Venarum: anguſtatis enim meatibus intercipitur regularis Sanguinis motus, & cum non revehatur eodem rithmo accedit hinc inflammatio, & eroſio ſuccedit. Defertur autem materia figens a lacrymarum vaſculis, ita ut tunica hujuſmodi ſalibus imbibatur, vel ab arteriis corneam irrigantibus. Eodem pariter tempore conſimilem conſtitutionem ſuccedere eſt probabile in cavitate oculi, ita ut alienus humor admittatur intra aquei humoris ſubſtantiam. Fovetur hæc affectio ab acidorum copia, quæ in hypocondriis gignuntur, ex quorum proventu icteritia quoque producitur. Probabile enim

enim eſt, ex hujuſmodi ſylveſtribus ſalibus loculos glandularum hepatis obſtrui, & ſeparationem bilis impediri, unde eadem cum non exoneretur in porum biliarium, indeque in duodenum inteſtinum, tandem in reliquorum viſcerum meatibus, & cutis anguſtiis intercipitur, unde & chyli dulcificatio, excrementorumque præcipitatio vitiantur, reliquaque viſcera, & cutis ipſa inficiuntur. Hæc igitur inquinamenta, ſuppreſſa debita tranſpiratione per cutim ex aeris inclementia, vel ex ſubingreſſu eroſivarum particularum ab aere media inſpiratione adaucta læſam aliam oculi partem lacerant; ibique figuntur, unde Ophthalmia: vel ſaltem interiore eruptione abſque exteriori decubitu, ut noviſſime accedit, vitiant aquei humoris diaphaneitatem, & latentis folliculi ſtructuram, & compagem augent.

Ex his igitur manifeſtæ occurrunt indicationes depurandi Sanguinem ab hujuſmodi inquinamentis, tollendi congeſtiones factas, firmandique viſcera. Pro quibus aſſequendis lenita alvo emollientibus, vel infuſione ſenæ, laudo propoſitum ſerum Capril. colatum, cui addantur per aliquot dies guttæ ſpir. Sal. armon., deinde Chalybis tinctura, vel proſtremo crocus Martis adſtringentis, eoque longo tempore utatur. Interim venter ſingula quaque ſeptimana ſolvatur infuſ. ſenæ in aqua fumariæ. Circa localia ad revellendum uterer veſicante poſt aures; ſi præcipue exterius aliqua inflammatio emergeret. Oculus quoque affectus abluatur aqua violar. quæ temperetur ſpir. Salis armon. per noctem in vaſe æneo. Laudantur pariter, quæ acidum temperant, & fluiditatem humoribus reſtituunt, ut ſunt oculi Cancr., lithargirium, cochleæ combuſtæ, & ſimilia aqua Plantag. ſoluta. Maſticatoria quoque, & tabaci uſus convenient. Aqua pariter panis ad guttas tres inſtillari poteſt in oculum, qui frequenter etiam abluatur aqua Chalybeata, in qua decocta ſint cydoniorum folia. Decoctiones pariter Eufragiæ, & interdum urina pueri commendantur. Vinum infuſione Chalybis præparetur; ſicut & reliqua potulenta. Cum cibo utatur ocul. Cancr., & cruſtaceis. Adveniente vere convenient ſucci herbar., & præcipue plantag., addito croco Martis adſtringentis. Pauca hæc in confirmationem a Doctiſſimo Viro propoſitor. indicabam. Faxit Deus.

CON-

CONSILIUM XXIV.

Profluvio d' Umore acqueo dagli occhi, con qualche opacità de' medeſimi.

L'Abito del Corpo dell' Illuſtriſſimo Signor Uditore è di natura Sanguigna con qualche miſtura di bile, avendo una tenuità di Sangue, e morbidezza di carne. Negl' Ipocondrj i ſuoi viſceri generano ſali, ed inquinamenti, i quali alle volte meſcolati col ſangue, e portati a diverſi viſceri partoriſcono varie affezioni, ora pigliando l' inclinazione agli occhi fanno ſgorgare porzione d' umore non in tutto diafano, o fiſſano qualche particella, e così cagionano un poco di opacità, e deſcrivono alcune iridi. Altre volte imbevuti nelle membrane, che inveſtono il Cervello, ed altre parti adiacenti al Capo, anno prodotto una gravezza di Teſta, ed un Senſo quaſi di acqua corrente. Ed ogni volta, che doppo il pranſo ſegue applicazione, e ſtudio immoderato, reſta il Capo riempito, e gravato, fiſſandoſi qualche porzione di Sangue, o almeno impedendoſi il ſuo moto. Alcuni anni ſono dagl' iſteſſi ipocondrj, eſſendoſi infettata la maſſa del Sangue, ne ſeguì una melancolia, la quale con rimedj umettanti, ed emollienti continuati in longo tempo comodamente ſi curò.

L' indicazioni in ſimili affezioni ſono ſtate di umettare, emollire, dulcificare, ed alle volte di meſcolare, e legare detti Sali; e ciò ſi è proccurato con brodi alterati con cicoracei, malva, ſemifreddi, e radice di gramigna, aggiugnendovi rimedj calibeati, per correggere gl' inquinamenti de' viſceri inferiori. Si ſono uſati i ſughi d' Erbe, ed in particolare di Cicorea, e di boragine, per dare una dovuta conſiſtenza al Sangue, e per levare quella fuſione, che cagiona quell' iride negli occhi. Si ſono anche praticate emulſioni di ſemi incraſſanti, meſcolandovi alle volte ſemi di papavere, e rotule fatte col corallo roſſo, perle, e ſua conchiglia, per corroborare il capo, ed imbeverſi di quegli acidi, e Sali turbativi, che ſi generano negli ipocondrj. Alle occorrenze ſi è aperta la vena. Queſti ſteſſi già praticati rimedj con giovamento, continuando la ſteſſa conſtituzione,

ſi potranno ne' tempi di Primavera, e d' Autunno replicare, e quando biſognaſſe purgare, per non turbare tutta la maſſa del Sangue, ed irritare i viſceri, biſognerà contentarſi dell' uſo del ſiero di Vacca con il veicolo di tartaro, o coſa ſimile piacevole, guardandoſi dalla manna. La Caſſia in ſoſtanza con conſerva di Viole, o di malva ſarà a propoſito, proſeguendo l' alterazione con brodi alterati, o ſieri deſtillati. Nella ſtagione più calda l' uſo de' bagni di Acqua dolce, e l' emulſioni con le mandole dolci freſche ſaranno giovevoli con l' ozio, che goderà. Nell' autunno venturo ſi potrebbono aprir l' emorroidi, o la vena del braccio ſiniſtro con una leggiera preparazione fatta con brodi alterati con l' orzo, ſemi freddi, e radice di gramigna. Avvertendo, che l' uſo dei decotti, e degli elettuarj caldi, ed aromatici, i quali hanno fama di corroborare il capo, e levar le fluſſioni, riuſciranno dannoſi, fondendoſi di vantaggio la maſſa del Sangue, e precipitandoſi maggiormente gli umori.

CONSILIUM XXV.

Suffuſio.

MOrboſus affectus, quo tentatur Nobilis Patiens, eſt ſuffuſio in ſiniſtro oculo ſenſim manifeſtata, quæ in altero oculo ſuæ propagationis prodromum exhibet. Eſt autem Suffuſio congeſtio quædam fluidi in ſolidum, & opacum corpus in aqueo humore concretum, quo rectus luminis tranſitus in interiora oculi impeditur, & ſucceſſive videndi actus tollitur: & licet hucuſque non evidenter pateat, qua ratione aqueus humor perpetuo regeneretur ab externo confluente fluido; probabile tamen eſt percolationem quandam intercedere, qua mediante liquidum quoddam corpus aqueæ naturæ ſenſim ſeparatum admittatur, ita ut ſervata ſuperficierum unitate permeabile ſit a radiis luminis, & perpetuam diaphaneitatem conſervet. Quapropter duo neceſſaria videntur in naturæ ſtatu, ut ſcilicet proportionata quantitate ſubingrediatur fluidum: nam exceſſu, vel defectu aquei humoris vitiatur viſio, & qualitas ſeu ſubſtantiæ modus ſervetur; Si enim loco aquei humoris partes Salinæ, vel alterius naturæ ad concretionem aptæ admittantur ita, ut vel

qua-

quadam adaptatione, vel implicatione impediatur: rectus luminis tranſitus, & corpus opacum fiat, morboſa redditur hæc pars. In Illuſtriſſimo igitur D. veriſimile eſt, excitata colliquatione in ſanguinis Maſſa ex ichoribus atrabilaribus, laxatam fuiſſe minimam compagem, qua humor admittitur extillans in cavitate ſub cornea locata; ſaleſque, & particulas filamentoſas una cum fluido aqueo ſubingreſſas fuiſſe, quæ quiete media invicem aſſociatæ obliquando radios refractionem luminis primo effecere, deinde telam contexuere, unde nebula, a qua totalis luminis excluſio, & exinde viſionis abolitio oborta eſt. Hæc incongrui humoris interceptio in alterum oculum inchoatur, unde principium nebulæ emergit. Juvat autem hanc morboſam affectionem nativa oculorum debilitas, ſtudium, & aer externus incongruus; dum enim ſtudiorum attentione, & meditatione caput calidius redditum nocturno acri expoſitum eſt, non ſolum tranſpiratio prohibita eſt; verum copioſi ſales ab aere communicati impetum humoribus conciliaverunt; unde de facili in contiguas partes, & præſertim in oculum vehementi exercitio laxatum, & rarefactum irrupere. Vitæ genus, & præcipue ſtudium intenſum hoc malum fovere poteſt, dum nervorum irritatione fluidorum motus vitiatur, & ventriculi coctio non rite abſolvitur. Quare inquinato chylo Sanguis inficitur, & cum recrementa per tranſpiratum non eliminentur a toto reflua circulatione media, in languidam partem, laxatam ſcilicet irruunt.

Quapropter indicationes medicæ ſunt tollendi colliquationem humorum inducta mixtura debita in iiſdem; depurandi fluida ab exaratis inquinamentis, & firmandi partem affectam; & curandi, ut congeſta jam materia in ſiniſtro oculo ulteriore denſatione diſponatur pro avulſione manu artificis ſuo tempore celebranda; altera vero, ne nova additione augmentum capiat, & demum magis lædatur. Ut his igitur ſatisfiat, curatio inſtituatur; & primo leniatur alvus infuſione ſenæ, quæ repeti poterit bis in menſe; vel exhibeantur pillulæ de ſuccino Cratonis, quarum hæc eſt deſcriptio. ℞. pulver. Succi. Maſtich. ana ʒii. Aloes ʒſ. Agarici ʒi. s. Ariſtoloch. rotund. ʒſ. cum ſyrup. de Beton. q. s. fiat maſſa Doſ. ʒi. Cæterum caveat a vehementioribus purgantibus, ne major colliquatio, & motus humoribus concilietur. Pro inducenda igitur debita corporatura, & depuratione humorum ſucci conveniunt depurati boragi. cichor. & plantag. quibus poſt X. dies addat ℈i. croci martis adſtringentis, hiſque ſaltem per menſem utatur. His peractis uſurpet ſerum Caprile, in

H 2 quo

quo per noctem ſuper Cinerarium calidum infundatur portio ligni cydoniorum, vel ad ſummum ſant. rubro., & ex uſu ſit longo tempore. Interim cum cibo, vel aqua in Sacchar. roſato utatur raſur. ebor. matr. perlar. C. C. uſto, & ocul. cancro. Familiares ſint emulſiones ex Semi. cucurbi., vel ex amygd. dul. recentibus. Vinum alteretur infuſione Chalybis, vel ſaltem Euphragia. Circa localia dexter oculus foveatur urina pueri, vel aqua chalyb., in qua bullierint plantago., cydoniorum Lignum, Cancri fluvial., & modicum antimo. crudi. Caveat a condimentis acidis, auſteris, oleoſis, & piperatis. Boyle ſuſpectum habet uſum apii, & abſynthii. Deinde vacet a curis, & ſtudio. Pauca hæc. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM XXVI.

Myopia.

Quartus elapſus eſt annus, quo N. P. ophthalmia tentatus medicis præſidiis curatus convaluit. Superiore autem anno objecta tantum proxima perſpicue cernere, remota non bene diſtinguere cœpit, & in loco valde lucido nubeculas evaneſcentes intueri. Morboſa hæc affectio ad Myopiam reduci poteſt, cum proxima recte, & diſtincte attingat; diſſita vero obſcure vel minime videat. Hujus ſymptomatis cauſa ex opticis deſumitur, quæ & ipſa varie deducitur, ſed ex ſitu præcipue, & figura humoris cryſtallini: hic enim globoſior redditus, vel profundius locatus, & retinæ proximior confuſam picturam, vel improportionatum radiorum coitum efformat. Diverſis autem cauſis figura, & ſitus cryſtallini variantur; nam imminuta vitrei humoris quantitate, vel aucta aquei mole, aut affecto, & irritato ligamento ciliari, intra propellitur cryſtallinus, & ejus etiam figura globoſior redditur. Quoniam tamen N. P. ex vehementi applicatione, diuturnoque ſtudio primo ophthalmia, poſtremo hac affectione laborare cœpit, & cum attente in loco valde lucido aſpicit, nubeculas intueri videtur, ideo non improbabiliter dubitare licet, an ligamentum ciliare, quod ex natura ſua muſculoſum eſt, debita non gaudeat energia, unde in vehementi, intenſoque lumine, quia plus juſto jam dilatatum

tum eſt, contractione pupillam anguſtare nequeat, ideo momentaneæ nubes objiciantur. Eſt igitur veriſimile longo, & laborioſo exercitio capitis humores, & præcipue lympham, qua natura utitur pro detergendo, & humectando oculo, acriores redditos, corneam ejuſq; vaſa labefactaſſe; unde fixato Sanguine contumax ophthalmia manifeſtata eſt. Quoniam tamen perrennavit hæc cauſa, ideo vitiata demum pupilla probabiliter in ſuo motu, ſitum quoque cryſtallino, & debitam luminis admiſſionem non parum variavit. Solent in his, qui longius objectum non diſtinguunt, & proximius diſtincte vident prominuli oculi obſervari, exuberante aqueo humore, qui anterius corneam eminere facit, interius vero pupillam urgendo introrſum etiam cryſtallinum impellit: quapropter dubitare poſſumus, an facta interiori fluxione, aquei humoris moles adaucta fuerit, & qualitatis vitio tonus fibrarum ligamenti ciliaris enervatus. In tanta igitur rerum dubitatione illud attendendum, ne ulteriore motu vehementi plus juſto oblædatur oculus, & fluida excitata in capite colliquatione ex nimia attentione, impetu interius facto inquinent humorem aqueum, & tollant ex toto tonicum ligamenti ciliaris motum. Quare Medicæ Indicationes erunt auferendi cauſas externas, ſtudium ſcilicet, communicandi debitam craſim, & corporaturam humoribus, & firmandi, prout poteſt, tonum partium oculi. Ut his igitur ſatisfiat, quædam proponam.

Medici in hoc caſu, ſuppoſito cryſtallini variato ſitu, conſulunt ſolummodo uſum ſpecillorum concavorum. Ut autem oculi compages, & .... gratia curatio inſtituatur. Si alvus ſponte lubrica ſit, non irritetur ſolventibus, ne colliquatio inducatur, ſed clyſteres convenient ex ol. amygd. dul., vel lacte vaccino Chalyb., aut butyro, & ſimil. Uti etiam ſoleo pilulis Cratonis de ſuccino. Circa alterantia laudo uſum ſucci depura. plantag., boragi., vel ſaltem jus alteratum eiſdem Chalyb., cum quo aſſumat pulver. oculo. Cancro., & raſur. eboris., hocque per menſem utatur. Æſtate autem potet ſerum Capril. cola. ad ℥. vi. cum C. C. uſto. Interea emulſion. ex amygd. dul. rec. aſſumat. Exterius foveantur oculi aqua Chalyb. altera. foli. plantagi. cydonior., roſarum. Urina pueri ex uſu ſit, & interdum lac Chalyb. vaccæ inſtillari poterit. Victus ſit tenuis, & cancris fluviatil. frequenter utatur. Vinum temperet aqua chalyb., vel alterata ligno cydonior. Vacet omnino a ſtudio, a forti attentione, ab inſolatu, a motu violento, ab ira, & ſimilibus, & omnino quietem corporis, & animi curet.

CON-

CONSILIUM XXVII.

Ozena.

PRæcipuum ſymptoma, quod in Nobiliſſima Patiente obſervatur, eſt fœtor halitus e naribus erumpens. Contingit autem hujuſmodi graveolentia, quatenus aer exſpiratione media e pulmonibus expreſſus, dum anguſtias narium pervadit, obradit, ſecumque miſcet halitus putridos ſeparatos a loculis glandularum narium, ubi eructati ab arteriis humores pro narium humectatione longa mora craſſefacti tandem corruptione ita afficiuntur, ut ſoluta naturali compage liberiores redditæ ſulphureæ particulæ aeri pertranſeunti aſſociatæ, adſtantium nares feriendo, moleſtam excitent ſenſationem. Cauſa corruptionis in excaratis glandularum Succis dependet frequenter a vitio ſtructuræ, unde in depreſſis naribus de facili contingit. Succedit etiam vitio totius, dum inquinamenta, quæ alias per tranſpiratum, vel per uterum eliminanda erant, ad has partes confluua viam ſibi faciunt: unde dubitari poteſt, an interdum in ſimilibus minera hujus mali odoris deſumatur ab halitibus e naribus erumpentibus, verum etiam a vitiata pulmonum ſeparatione. Conſtat enim in iiſdem inſignem fieri tranſpirationem: quapropter mutata eorundem actione, & appulſi alimenti fermentatione fieri etiam poteſt tranſpiratio incongrua, & ſulphurei halitus, a quo fœtoris occaſio. Familiare eſt ipſi naturæ a determinatis partibus tranſpiratione media totius corporis inquinamenta detrudere, & fœtentes halitus manifeſtare; ita in quibuſdam a planta pedum, vel etiam a toto corpore ſudor, ſeu halitus ingratus, & moleſtus ſuccedit. Juvant hanc affectionem Lienis, & reliquarum glandularum imi ventris vitium; communicati enim humoris fluiditatem impediunt, & ad putredinem diſponunt.

Indicationes itaque erunt prohibendi congeſtionem, & putredinem humorum, & tollendi viſcerum obſtructionem, ut tandem ſuperveniente ſuo tempore menſtruorum felici copioſaque eruptione ab hoc ſymptomate liberetur. Curatio interna inſtituatur propoſito Leniente; deinde ex uſu ſit jus Chalybeatum pullæ, vel Columbi juvenis, in quo deco-

quan-

quantur fol. Borag., Melis., abſynth., radic. fœniculi, & ſimilium, cui poſt X. dies addat chalybem potabilem M. D. Etruriæ; hiſque utetur per 30. ſaltem dies. His peractis conveniet ſerum Caprinum colatum, cum quo aſſumat Salem abſynth., vel macerari poterit coma ipſius abſynthii in eodem ſero Caprillo per noctem, & hæc per longum tempus uſurpentur. Interdum utatur pilulis rhabarbaro paratis. Maſticatoria quoque convenient, & rotulæ ex Sale prunelle. Vinum alteretur infuſ. fol. abſynth. vel Salviæ. Nares interius abluantur aqua chalybeata, in qua decocta ſit radix Mal. altheæ, violar., abſynt., & Meliſſæ. Victus ratio ſit attenuans, parum Carnibus utatur, & locali motu multum exerceantur. Pauca hæc habebamus pro integra Nob. P. ſalute. Faxit Deus.

CONSILIUM XXVIII.

Deſtillazione con uno ſputo acquoſo.

LA continua deſtillazione con lo ſputo acquoſo, ed altre volte ſanguigno con gli altri accidenti oſſervati nella Nob. P. moſtra evidentemente un' acredine, come dottamente viene eſpoſto, nel fluido univerſale, mediante la copia di parti eroſive, quali portate colle arterie ai follicoli delle glandule aprono con violenza i meati per i quali la ſaliva, e la linfa deve in determinata quantità paſſare dal fluido univerſale nella concavità dei detti follicoli, e ſucceſſivamente ſcaricarſi per i ſuoi vaſi eſcretorii; d'onde ne naſce una confuſa, e copioſa ſeparazione di fluidi, dalla quale ne ſuccede lo Sputo quaſi continuo. Se poi queſto affetto morboſo ſucceda ſolamente nelle glandule della bocca, ed in quelle, che ſono intorno al capo; ovvero ſi comunichi anche la ſteſſa violenza alla ſoſtanza del polmone mediante il paſſaggio di tutto il Sangue per eſſo, ſi può dubitare; poichè trovandoſi il ſiero del Sangue impregnato di Sali eroſivi, bene ſpeſſo traſſuda dai pori delle membrane delle veſiche polmonali in vece d'un' alito, che conſtituiſce la traſpirazione, una copia di fluidi, e frequentemente per la maggior apertura porzione della parte roſſa del Sangue; quale benchè venga ſpinta fuori ſenza toſſe, l'eſperienza però

rò in alcuni moſtra, che viene da polmoni . L' origine di queſte parti eroſive viene prudentemente ſtatuita negl' ipo-condrj ; eſſendo probabile , che il chilo non venga interamente depurato dai ſughi delle glandule delle viſcere interiori ; ma che ripieno di ſali acidi ſi meſcoli col Sangue.

Si che le Indicationi ſaranno di dolcificare il fluido univerſale con promovere la traſpirazione, o legare i ſuddetti ſali , e conſolidare le parti illanguidite . Per ottenere queſti fini ſarà neceſſario proſeguire la cura , e perciò eſſendo neceſſario lubricare il corpo , ſi valerà dell' Olio di Mandole dolci fatto ſenza fuoco , ovvero delle pillole di Cratone *de Succino*. Per alterante mi ſervirei dell' antimonio diaforetico , al quale alle volte ſi può accoppiare qualche grano di pillole di Cinogloſſa, e queſto per un meſe almeno . Fatto queſto per legare i ſuddetti Sali potrà praticare l' uſo del latte vaccino cotto con la quinta parte d' aqua di Viole . Fra il giorno prenderà alle volte alcune tavolette fatte con l' occhio di Granchio, e raſura d' avolio, e di madre perla, ſemi di papavero bianco ,e fiori di zolfo. Sarà bene l'acciarire i brodi . Queſto è quel poco, che poſſo motivare per l' intera ſalute della Nobiliſſima Paziente, rimettendomi ſempre alla prudenza di chi regola la cura.

CONSILIUM XXIX.

Faucium Morbus, & Tuſſis.

NAtura in cuſtodienda animalium æconomia adeo ſollicita eſt, ut levi etiam irritatione laceſſita , excitato muſculorum motu excutere tentet irruentia extranea; unde præſervatio quandoque ſuccedit cum morbo ipſo. Hoc in illuſtriſſimo Viro apprime experimur , in quo & faucium, & tracheæ irritatis membranis ſubjectæ carneæ fibræ , reliquique muſculi inſpirationi inſervientes ad motum excitantur . Hinc moleſta ſuſcitatur tuſſis . Probabile igitur eſt , ſalivam , quæ a propriis glandulis eructatur , pro faucium nativa humectatione , loco emplaſtici , & lenti humoris, particulas ſalium nimis exaltatas , acidumque volatile in ſe continere , quibus non ſolum ſubjecta membrana irritatur , verum etiam Sanguis ab arteriis ſuffuſus aliqualiter fi-

gitur,

gitur, unde faucium rubor ſuccedit. Idem pariter in inteꝛiore aſperæ arteriæ trunco accidere, veroſimile eſt; natura namque pro conſervanda hujus partis lævitate glandulas ibidem locavit, a quibus perpetuo oleoſus extillat humor, quo mediante activitas Salium ingredientis aeris, & exeuntium fuliginum obtundatur. In noſtro igitur Patiente aut deficit humidi unctuoſa humiditas, vel ejus loco prorumpit ſylveſtribus ſalibus impregnatus humor, unde frequens in ſubjectis carneis fibris ſuſcitatur contractio, quam reliqui ſubſequuntur ex habitu, & aſſuetudine, thoracis, & intercoſtales muſculi iiſdem nervis irrigati. Hæc tota inquinamentorum copia in faùces, & tracheam exoneratur, ſed ipſorum nonnullæ particulæ intra nervos interdum ſubſiſtunt, a quibus impedita nervei ſucci pleniore propagatione in thoracis muſculis ponderis ſenſus manifeſtatur, & elapſo anno intra cerebrum coercitæ levem quandam apoplexiæ ſpeciem induxere. Generationem harum particularum perennem reddunt animi meditationes, & curæ, a quibus volatiles particulæ diſſipantur, & reliquis humoribus in caput delatis, coanguſtatis venis, & ex nervorum irritatione aliquid deponitur, quod in ſubjectos muſculos interdum exoneratur, quo tempore etiam in præcordiis non parum colliquantur humores, & caliditatem concipiunt, hinc aeris moleſtias ſentiunt.

Indicationes igitur manifeſtæ eliciuntur tollendi irritationes, & depurandi fluida, quibus ut ſatisfiat, audio, omnia fere præſidia medica tentata eſſe. An expediat modo cauterium excitare, ambigitur. Ut verum fatear, ſuſpectum ſemper habui Cauteriorum uſum, eo quia probabile eſt, ichorem, qui excernitur ab excitato vulnere, eſſe portionem alimenti per vaſa ad partem tranſducti, quæ ex vulnere, & ſucceſſive per carnis meatus, quibus circulatio celebratur, labefactetur, intercipiatur, aceſcat, & corrumpatur, & per occurrens vulnus excernatur, unde in habitibus tantum prę-humidis, & ſumme nutritis interdum admitto. Quare in Illuſtriſſimo Viro inutile cenſerem hujuſmodi remedium, eoque magis cum irritatio non a copioſo ſero, ſed a commixtis, exaltatiſque ſalibus ſuccedat, unde fortaſſe deeſt potius humiditas contemperans, & tracheam humectans, quam abundet. Quapropter, ut diluantur hujuſmodi Sales, & ad vias urinæ deriventur, conſulo uſum Seri caprilis depurati ſingulo mane per menſem, aſſumendi cum gelat. C. C. Interdiu vero ex uſu ſint morſelli ex amygd. dulcib., ſemin. malvæ, ſem. papa. albi, addito pauco ſucco papaverum rubro., cum Sacch., & aqua viola. cum tragacantho: Succus pariter

I ex-

expreſſus ex rapis elixis, ſaccha. candido conditus laudatur. Oleum amygd. dul., loco præcipue cęnæ, uſurpetur, ſi poteſt fieri, vel ſaltem ipſarum emulſio cum ſemi. cucurb., & ptiſana horde. Pulmenta ex hordeo, oriza, & ſimilibus in lacte vaccino coquantur. Vinum aqua chalyb. temperetur. Caveat a curis, & animi meditationibus, &c.

CONSILIUM XXX.

Orthopnæa.

ORthopnæa vexatur Nob. P. per intervalla recurrente, cui, ut prodromus, eſſe ſolet levis capitis dolor cum Coryza, propenſione ad ſomnum, & ventriculi plenitudine cum flatu. Hæc poſt quintum diem, rejecta per ſputum craſſa, & viſcida materia, deinde concocta, extinguitur, nulla in pulmonibus relicta labe. Succedit autem hic morbus, colliquato Sanguine, & exaltatis ſylveſtribus ſalibus, turbataque Sanguinis circulatione. Sicut enim in naturæ ſtatu ſanguis a toto refluus chylo, & lymphæ in pulmonibus media aeris preſſione, & vaſorum reticulari plexu ita intime miſcetur, & volatilizatur, ut copioſa ſeparentur effluvia una cum inſpirato aere; ita in hac morboſa affectione, turbata forti Sanguinis miſcella ab exaltatis ſalibus eroſivis non ſolum tollitur expetita compages, & colliquatur, verum pulmonum minimi meatus, quibus tranſpiratio celebratur, laxantur, & violenter aperiuntur, unde data porta exarati ſales ſero aſſociati irruunt in pulmonares veſiculas, & trachearum fines: quapropter adaucto pulmonum pondere ſubiens aer difficulter ſuperare poteſt eorum reſiſtentiam. His accedit probabiliter enervari ichorum imbibitione carnearum fibrarum tonicum motum, unde reſpiratio vitiatur. Hanc poſitionem firmat conſimilis morboſa conſtitutio, quæ circa caput, & nares manifeſtatur: ablata namque debita ſanguinis compage glandularum folliculi, quibus nares ditantur, irruentibus ichoribus ita explentur, & turgent, ut coryzam producant: membranarum (quoque caput inveſtientium pori eodem ſero ita ſtipantur, ut remorato Sanguinis motu gravitas ſuccedat. Eadem pariter cauſa ventriculus turbatur: nam

nam glanduloſa ejuſdem ſubſtantia loco proprii fermentati-vi, & actuantis ſucci expoſitis ſalibus ab arteriis propulſis ita turget, ut fibræ carneæ, & nerveæ etiam reticulares in contractione vitiatæ gravitatis, & repletionis ſpeciem indu-cant; flatus etiam tunc elevantur: nam attenuatis, & ſolu-tis ichoribus, factitius aer copioſius elicitur. Quare uno ver-bo fit veluti Rheumatiſmus internus. A quanam vero par-te ortum trahant morboſi ſales, & ichores, non ita facile determinari poteſt; illud tamen videtur probabile inquina-menta, quæ a cutis glandulis in ſanitate eliminantur, aſſi-dua fere corporis quiete ſubſiſtere, & reflua per venas ſen-ſim univerſam fluidorum maſſam inquinare; unde tandem acquiſito motu, præcipue circa æquinoctia, in quibus inſi-gnes ſuccedunt mutationes, ſuas exerere vires, Sanguinem colliquando, ejuſque felicem motum turbando. Mentis quo-que perpetuus motus nervos irritat, & convellit. hinc mu-tata vaſorum diametro, & ſituatione, de facili contenti hu-mores remorantur, & inde acorem concipiunt. Viſcera pa-riter, & præcipue ventriculus debita ſucci nervei copia non irrorantur, quapropter tarda ſuccedit prima coctio, & for-taſſe chylus non debite dulcoratus ſanguini ſylveſtres ſales ſenſim ſubminiſtrat; quæ labes quoque poſtremo lymphæ e-tiam communicatur.

Indicationes itaque medicæ erunt depurandi Sanguinem ab exaratis Salibus, derivatis iiſdem per vias urinæ, vel per tranſpiratum, prohibendi congeſtiones, & firmandi affectam partem. Pro quibus explendis totus pene Medicus orbis la-borat propoſitis remediis. Quare ex his nonnulla ſeligam, ut ſervitutis meæ officia Nob. Viro præſtem. Præſervationis igitur gratia, opportuno tempore repeti oportet curatio; & pro lenienda alvo Caſſia, Cremor tartari, pulpa tamirind., ol. amygd. dul., & ſimilia ſufficiunt. Clyſteres frequenter injiciantur. Vomitus, ſi facilis fit, opportunus erit, & a ci-bo excitatus jure pingui, & oxymelle. Vere, & autumno vena brachii aperiatur, & frictiones totius corporis fiant. Pro eluendis autem inquinamentis laudo propoſitum ſerum Caprile col. tantum, in quo per noctem maceretur coma ab-ſyntii, hiſque per XX. dies utatur. Deinde per menſem aſ-ſumat terebinthinam julebizatam, cui ſuperbibat indicatum ſerum capr. abſque infuſio. abſynth. Tandem æſtivo tempo-re potet thermales aquas Spadanas, aut Villenſes. Interdiu utatur tabellis ſem. altheæ, fl. ſulphur., ocu. cancro., & ſi-milibus paratis. Urgente Paroxyſmo oleum amygd. dul. s. i. extra. etiam pro cibo conveniet. Ex uſu fit ſpir. Sal. armo.

in ſyrup. de althea, vel juſcul. alter. hedera terr., radic. grami., & raparum; harum quoque ſuccus poſt elixationem expreſſus, & ſaccharo conditus interdiu cochleatim ſumptus juvabit uti Aqua deſt. heder. terreſt. cum ſyrup. de ibiſco, & modico ſpermate ceti. Vinum potetur, in quo millepedes macerentur, & fortiter exprimatur, quo cochleatim utatur. Circa victus rationem vitet cibariorum varietatem, & parce cœnet. Abſtineat a carnibus pinguibus, duriſque, & cibis incoquat fœniculum, aut petroſelinum. Vino infundatur lim. C. C., & temper. aqua altheæ, vel liquiritiæ. Corpore exerceatur, etiam equitando, mente vero quieſcat. Morbus hic progreſſu temporis enervari etiam videtur, & vidi nonnullos in adoleſcentia conſimili morbo graviter vexatos ætate convaluiſſe, vel ſaltem rarioribus inſultibus tentatos fuiſſe. Aureo tandem Cratonis dicto concludam: Quamobrem naturæ quies concedenda eſt, quamplurimis enim auxiliis affligi, quiete refici videmus, & jam extenuatos morbos ſuperare.

CONSILIUM XXXI.

Aſthma Convulſivum.

Aſthmate laborat Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus P. recurrente periodice circa autumnale æquinoctium. Morboſæ hujus affectionis cauſæ adeo ſunt obſcuræ, ut diligenti, & altiore egeant indagine. In naturæ igitur ſtatu reſpiratio ſuccedit, dum ampliata Thoracis cavitate mediis muſculis intercoſtalibus, & diaphragmate, externus aer ſuo pondere, & elatere ſuperans pulmonum reſiſtentiam eoſdem dilatat, & anguſtata iterum concavitate thoracis, contractiſque carneis fibris veſiculas pulmonum amplexantibus, extra truditur concurrentibus nervis, & vaſis ſanguineis. Vitiatur autem hæc actio labefactata thoracis compage, oblæſis ſcil. muſculis, vel graviore reddita pulmonum mole, aut ſaltem obturatis ſpirituum viis. In caſu itaque noſtro probabiliter conjectari licet, difficilem reſpirationem excitari vitio muſculorum, ſcilicet ſepti tranſverſi, & intercoſtalium, qui ſpaſmodica quadam tentati affectione, & convulſis nervis reſpirationem celebrare nequeunt. Hanc conjecturam fovent contractio, zonæ

zonæ inſtar in hypochondriis, parcaque humiditatis per ſputum, vel per urinam ſubſequens excretio. Veroſimile namque eſt, nervorum extremitates, quæ ad viſcera imi ventris perducuntur, & præcipue vagi paris, laceſſiri ab acidis inquinamentis, quæ alias æſtate per tranſpiratum diſſipabantur, convelli, turbato, & quaſi inverſo blando, nativoque nervei ſucci motu; unde ſeptum tranſverſum, reliquique muſculi coaffecti continuata, & tumultuaria contractione tentantur, quapropter pulmo extendi, & comprimi nequit; hinc anhelitus, & angor. At quoniam humorum motus pervertitur, mutatis vaſorum tubulis mediis carneis fibris a nervorum propaginibus irritatis; ideo urgente nervorum ſpaſmo comprimuntur Sanguinea vaſa, & ſucceſſive impedita Sanguinis circulatione, humores, & præcipue tenuiores novas ſibi vias aperiunt; hinc aliqualis congeſtio, & eruptio ſeroſæ colluviei. Manifeſtatur autem ſymptoma, primo circa lienem; nam Sanguis in hoc viſcere ob facilem remoram acorem contrahit, unde ipſius nervi primo laceſſiri poſſunt, qui cum reliquis etiam inoſculentur, turbationem communicant, ut patet in hyſtericis, & nephriticis affectionibus, & præſertim cum alias lienis vitio, rugitibus, & perturbationibus hypochondriorum laboraverit Nob. V., & tunc eadem tenſa obſerventur. Gignuntur irritantia inquinamenta in hypocondriis, unde eructata a glandulis coctionem cibariorum retardant, & turbationem, tenſionemque excitant. Labes quoque a Pancreate medio Sanguine propagata has morboſas particulas manifeſtare valet. Autumno vero depauperato Sanguine, & facta diſſipatione partium volatilium, urgente aeris frigiditate, tollitur tranſpirationis felicitas; unde expoſiti ſylveſtres Sales refluunt, qui tandem viſcera præcipue inferiora eorum fluore inficiunt, & ſucceſſive nervorum fines.

Quapropter indicationes ſuccedunt auferendi exarata inquinamenta, depurandi hypocondria, & firmandi viſcera inferiora. Pro quibus explendis curatio inſtituatur leniendo alvum infuſione ſenæ &c. *Cæterum praxis deſideratur propter tranſcribentis incuriam.*

CON-

CONSILIUM XXXII.

Toſſe con uno ſputo verde, e giallo con tintura di ſangue, febbre dopo il cibo, e ſudore verſo la ſera.

E' Singolariſſimo l'onore, che mi fa V. E. nel comandarmi, mediante la lettera del Signor Roberto, &c. che io dica il mio debole parere ſopra la graviſſima indiſpoſizione del Cavaliere ſuo amico. Ho debitamente conſiderato la Relazione inviata, e parmi probabile, che la febbre, che di preſente ſi manifeſta dopo il Cibo, la toſſe profonda, lo ſputo verde, e giallo con tintura di ſangue, ed il ſudore nella ſera con gli altri accidenti ſieno un prodotto della materia della vajuola non diſſipata affatto, ma paſſata ne' polmoni, parte di ſua natura languida, e nella quale facilmente poteva intricarſi. Queſta materia adunque colla ſua acidità, e diſpoſizione a coagularſi, veriſimilmente colà fermata ha fatti tubercoli crudi, ed abſceſſi, ſimili a quelli, che eſteriormente ſi ſono oſſervati, (e di ciò ne dà lume la ſezione de' cadaveri de' Tiſici) e con i ſuoi Sali, ed icori aprendo, e lacerando i minimi meati della tenera ſoſtanza del polmone s'è inſinuata ne' bronchij, e nelle veſiche membranoſe; onde ne ſegue il peſo, e conſeguentemente la difficoltà del reſpiro, la copia, e la qualità dello ſputo. E perche il ſangue, la linfa, ed il chilo portati a polmoni reſtano ſporcati da queſta materia, quindi è, che ſi rifermentano con un moto improporzionato, dal quale ſi produce la febbre *a cibo*, e finalmente ſuccedendo una piccola precipitazione il ſudore *ad Veſperas*. Da queſta ſteſſa cagione, mancando le dovute parti balſamiche nel ſangue, ſuccede il maraſmo, non reſtando nelle parti l'alimento, ma più toſto levandoſi da quelle, per l'attività de' ſali non poca porzione di lui. La cagione rimota di queſto affetto è ſtata la ſtruttura naturale gracile, e l'attività, o acidità della linfa, la quale ſgorgando dalle glandule della trachea, e della gola ha eccitata la toſſe, e fatta una lacerazione ne' meati del polmone, onde ſul principio ſi manifeſtò la deſtillazione, e lo ſputo ſanguigno. Il vizio poi della

linfa probabilmente è ſtato formato dall'impurità del Chi-lo, che non bèn dolcificato nè depurato da' ſali ſilveſtri, ſi è di continuo meſcolato colla maſſa del ſangue, onde i fluidi ſecondarj, e ſpecialmente quei delle glandule ſono reſtati morboſi, ed invece di promovere la fermentazione del ſangue, ed il traſpirato, hanno cagionate fiſſazioni, ed eroſioni ſpecialmente ne' polmoni, parti che facilmente s' offendono, e ricevono l' impreſſione del tutto, &c.

Sicchè le indicazioni ſono di levare le fiſſazioni, ed irritazioni per quanto ſi può, raddolcendo i fluidi, e conſolidar le parti lacerate, o troppo aperte, di rinutrire il Corpo, e corroborare i fermenti delle viſcere. Per ottener queſti fini, di già ſi proſeguiſca la cura, e quando ſi poſſa continuare l' uſo del latte aſinino, con il quale ſi meſcoli il zuccharo roſato, è bene. Terminato che ſarà, potrà valerſi d'un brodo, nel quale ſia bollito un poco di Carne di vitello, o pollo, con le code di gambaro d' acqua dolce, ed alcune rane, aggiugnendovi le foglie di piantagine, conſolida, lenticola paluſtre, Ellera terreſ. e l' orzo ſenza ſcorza, prendendo ſeco una drama di polvere di tutto il granchio calcinato, e lo potrà continuare lungo tempo. Fra tanto prenderà col cibo la polvere d' Hali, e ſarà più efficace quella, che è propoſta nel comento della Pratica Barbeziana, che è compoſta di ſemi di Papavero, d'antimo. diafore., fior di Zolfo, e di altea. Fra il giorno ſi valerà delle rotole fatte con gli occhi di granchio, il nitro purificato, il Corno di Cervo calcinato, l' antimo. diafor., zuccharo candido, l' acqua di viole, aſpergendole con alcune goccie del balſamo del Perù. Dopo cena prenderà un cucchiaro di conſerva di roſe, nella quale vi ſia la terra ſigillata. In vece di vino beverà l' acqua fatta coll' infuſione del ſandalo roſſo, e del Saſſafras, e le paſſole, nella quale meſcolerà un poco di zucchero roſato. Uſerà di frequente le Lattate d' amandole dolci, e freſche, ed i ſemi di zucca. Per la toſſe praticherà il ſiropo d'eriſimo, e di edera terreſtre. Il vitto ſia tenue, e ſi ſerva delle mineſtre di farro, e di riſo ben cotto, d' orzo, &c. Si guardi da medicamenti ſolventi. Biſognando lubricar il Corpo, ſi ſerva de' ſerviziali di latte di Vacca acciarito, e di olio d' amandole dolci. Queſto è quel poco, che poſſo motivare a V. E., e mentre la ſupplico a continuare l' onore di ſuoi comandi, le faccio profondiſſima riverenza, e mi confermo, &c.

CON-

CONSILIUM XXXIII.

Tuſſis cum ſputo craſſo, & viſcido, dolor in ſiniſtro latere, febricula pomeridianis horis, & univerſi corporis macies.

TUſſis moleſta cum ſputo craſſo, viſcidoque, & interdum dolor in ſiniſtro latere, febricula pomeridianis horis manifeſtata, univerſalis macies, reliquaque ſymptomata, quæ in doctiſſima Scheda exarantur, ſufficienter demonſtrant, Illuſtriſſimam P. morboſa affectione thoracem infeſtante laborare. Veroſimile enim eſt, in pulmonibus ſenſim congeſtos eſſe humores erodentes, a quibus vitiatis minimis meatibus pro tranſpiratione, ſeri ſanguinei copia admittitur, unde ſputum. Succedit autem tuſſis, quia a ſalibus irritantibus fibræ carneæ, quibus interior tracheæ tunica munitur, ad motum excitantur. Dolor pariter ſuccedit, laceſſitis nervis a ſtagnantibus ichoribus. Et quoniam in pulmones cum Chylo lympha, quæ probabiliter acidior eſt, irruit, ideo improportionata fermentatio excitatur, unde concitatiore ſuſcitato motu in ſanguine, ſollicitatur hinc febricula. Contabeſcit autem univerſum Corpus, quia ſanguinis maſſa acribus, & acidis particulis turgida inter circulandum potius a partibus abradit, quam ipſis addat. Morboſa hæc conſtitutio ortum a Parente trahit: labes enim relicta in ſemine prima vitiavit fermenta, & minimam ſtructuram, quæ ſtato tempore patenter ſe manifeſtarunt; habitus namque gracilis, collum oblongum, pectoris anguſtia languorem facultatis vitalis indicant. In conſimilibus pariter conſtitutionibus glandularum ſucci, & præcipue lympha ex retardato motu de facili acorem concipiunt, unde affuſi ſanguini volatilizationem impediunt, & acquiſita eroſiva natura pulmones tenellis tunicis conſtantes imbuunt, & poſtremo vitiant. Indicationes itaque Medicæ ſunt manifeſtæ, mitigandi ſcilicet ſanguinis acredinem, congeſtionem tollendi, & irritationem in pulmonibus, & reſtituta ſanguinis maſſæ debita craſi renutriendi univerſum corpus, ne ulteriore in pulmonibus facta congeſtione, & apertura, ſævior

ſuc-

ſuccedat morbus. Quibus ut ſatisfiat, curationem proſequi expedit. Laudo igitur propoſitum uſum juris altera., & boli indicati. Poſt hæc commendarem ſerum Capr. cola. ad ℥ vi. cum pulver. parato cum cancr. fluvi. calcina., quibus utatur per menſem. Deinde uſurpet Lac aſini. cum ſacch. roſa. per XXXXX. dies, quibus tranſactis ex uſu ſit vaccinum coctum cum quinta parte aquæ hordei, vel violarum. Interdiu pro tuſſi, & ſputo utatur ſyrup. de hedera terreſtri, vel tabel. parat. ſemi. alth. flor. ſulphur. ſacchar. candito, & aqua viol. Sub cibo utatur pulvere Halii, vel ſequenti. ♃. ſemi. papav. albi, Gummi. tragac. an. ʒ i. ſ. ſemi. alth. portula., melon., cucurbitæ a ʒ ii. ſ. Farinæ orobi pul., oculo. cancro., coral. albo. an. ʒ i. ſ. liquir. ʒ i. ſ. Sacch. penid. ad pond. omn. M. fi. pulvis S. A. Doſis ʒ i. bis in die. Tempore, quo lac aſſumet, abſtineat a vino, ejuſque loco potabit aquam hord., vel alterat. liquiri. Emulſiones ex amygd. dulc., & ſemi. cucurb. erunt opportunæ. Loco cœnæ ptiſana hordacea, vel ſolum pulmentum conveniet. Cæterum pro prandio pulmenta ex oryza, hord. milio: & ſimilia in lacte interdum coquantur. Eſus cancrorum fluvialium perutilis eſt. Carnes ſint facilis coctionis, ut plurimum elixæ. Abſtineat ab acidis, auſteris, & ſalſis. Pauca hæc indicabam pro ſalute Nob. Ægrotantis. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM XXXIV.

Tuſſis, Catarrhus, & totius corporis macies.

Tuſſis, totius corporis macies, reliquaque ſymptomata, quæ in Illuſtriſſimo, & Nobiliſſimo Patiente obſervantur, dependent ab irritatione facta in viſceribus, & a turbata corporis nutritione. Sanguinis enim maſſa acribus particulis abundat; unde ſuppreſſa ab ambientis aeris frigore debita tranſpiratione, congeſtiones olim in thorace excitatæ ſunt, a quibus Catarrhus ortum traxit, factiſque in capite interceptionibus, ac impedita ſpirituum animalium ſeparatione, & in nervos ſucceſſiva tranſmiſſione, vertigo ſucceſſit. Nunc vero eadem inquinamenta partium nutritionem im-

pediunt, excitata majori particularum ramoſarum, & fibrarum ſanguinis attritione; ita ut non ſolum in partibus nutriendis pars alimenti ſubſiſtat, eiſque hæreat, verum ab acredine, activitate, & motu peccantium ſalium a partibus ſolidis aliquid abradatur. Exaratæ morboſæ particulæ probabiliter ab hypocondriis ſubminiſtrantur, quatenus acrium, & acidorum ichorum portiones in prima coctione non ſubiguntur, nec dulcificantur, vel ſaltem cum excrementis non præcipitantur; inde chylo aſſociatæ ſanguinariæ maſſę affunduntur, & in eadem perennantes inter circulandum ſuas exerunt vires. Hoc totum indicare videntur rugitus in imo ventre, & vomitus acidus ſemel obſervatus. Fovet quoque hanc affectionem avita labes, quæ ſemini communicata prima fermenta, & viſcerum ſtructuram vitiavit. Cauſæ pariter externæ, & præcipue animi pathemata hanc morboſam conſtitutionem adjuvant, quatenus diſſipatis volatilibus partibus, & acriori reddito ſanguine, æconomia, & nutritio præcipue labefactatur.

Indicationes igitur Medicæ occurrunt dulcificandi humores, tollendi irritationes, & juvandi totius corporis nutritionem. Quibus ſatisfacere non erit ita difficile, cum hucuſque in thorace præcipue nulla ſenſibilis ſubſiſtat adhuc congeſtio concretæ materiæ, vel exulceratio partis ſubſecuta ſit. Quapropter curatio inſtitui poterit. Pro nunc igitur concurrente calida aeris temperie conſulo uſum balnei aquæ dulcis, quæ alterari etiam poterit Decoct. fol. ſalicis, lactucæ, malvæ, viol. & hordei decorticati. In eo itaq; moram trahat per ſemihoram, & uſque ad tres quadrantes horæ. Tepida ſit aqua in principio, ita ut horror non ſuccedat; in fine vero parum frigeſcat; & hoc remedii genere utatur, donec moderatus aeris calor viget. Ceterum quamprimum curationem aggrediatur, ſumptis flor. Caſſiæ cum crem. tarta., lenientis loco, vel ſero vaccino copioſo cum vehiculo cremor tarta., & ſacchar. candit. Pro depurandis etiam hypocondriis laudo uſum ſeri Capril. colat. ad ℥ vii., quod ſingulo mane aſſumat per dies XV., & hoc remedii genus niſi præſto ſit, utatur ſero Vacci. col. His peractis, ut debita conſiſtentia ſanguini reſtituatur, communicatis fibroſis, & ramoſis particulis ſanguini, conſulo uſum lactis vaccini cocti tamen, ne ichorum, & Salium energia corrumpatur. Prima itaque hebdomada aſſumat lac vaccinum ad ℥ iiii. & ℥ i. ſ. aqu. hord., vel viol., omnia bulliant ad conſumptionem aquæ. Secunda hebdomada lactis doſis augeatur ad lib. ſ., & aqua ad ℥ ii., & eadem ſuccedat ebullitio. Reliquo

ſiquo autem tempore aſſumat lactis ℥ viii., & aquæ ℥ iii. ſa-ctá pariter debita ebullitione. Utatur itaque lacte per geminos menſes, quo tempore abſtineat ex toto a vino, ejuſque loco uſurpet aquam alteratam liquiritia, vel hordeo, vel ſaltem Calybeatam. Parce tunc cenet, ſoloque pulmento contentus ſit; abſtineat quoque ab uſu acidorum, acrium, & ſalſorum. Pulmenta ex oryza, hordeo, & ſimilibus, quæ in lacte vaccino interdum coqui poterunt. Cum cibo utatur gelatina C. C. Emulſiones ex amygdalis dulci. precipue recentibus opportunæ erunt, & a cæna conſerva viola. cum ℈ i. pulver. ocul. cancr. aſſumi poterit. Interdiu aſſumat tabellas paratas ſacch. roſat., antimo. diaphor., ocul. cancr. & ſale prunelle. Obſervet etiam, an in autumno Somnus laborioſior ſuccedat, dolor Capitis, & thoracis invaleſcat, quo in caſu vena brachii aperiatur. Pauca hec, &c.

CONSILIUM XXXV.

Tuſſis cum ſputo copioſo, prurito ſicco per univerſam cutim, vigilia, alvi ſiccitate, & febricula, contabeſcente etiam corpore.

NAtura morbi, ejuſque cauſæ ita docte, & eleganter a præclariſſimo Viro exponuntur, ut non opus ſit ulteriori indagine. Conſtat enim, Illuſtriſſimum Virum tuſſi laborare cum copioſo ſputo, pruritu ſicco per univerſam cutim, vigilia, alvi ſiccitate, & febricula, contabeſcente etiam corpore. Hæc autem ortum trahunt a colliquatione ſanguinis, luxuriantibus namque in ſanguinaria maſſa ſylveſtribus eroſivis ſalibus copioſior colligitur humor in folliculis glandularum tracheæ, & dum ſanguis pulmones permeat, ichores viam ſibi aperiunt, diductis, & laxatis eorumdem poris in cellulas, & tracheæ fines, ubi irritando tuſſim excitant, & ſputum promovent. Et quoniam principalis miſcella lymphæ, & ſanguinis celebratur in pulmonibus, ideo ex concurſu diverſorum ſalium improportionata ſuccedit fermentatio, a qua frequens febricula. Eadem quoque cauſa pruritus gignitur, interceptis aci-

dis ſalibus in cutis interſtitiis, & recollectis morboſis ichoribus in miliaribus glandulis; hinc corporis habitus gracilior redditur: nam ab acri ſanguine nutrimentum potius abraditur, quam apponatur partibus. Vigilia quoque urget, vellicatis cerebri fibris ab affuſo ſanguine, vel ab inquinato nerveo ſucco; unde harum perennat tenſio, & tandem alvi ſtypticitas viget, derivata humiditate in alias partes, & oppilatis vaſorum oris in inteſtina hiantibus a vitriolatis particulis, a quibus etiam enervatur periſtalticus inteſtinorum motus. Hanc morboſam affectionem fovet turbata prima coctio: vigente enim morbo hypocondriaco, chylus non depuratur; ſed ſylveſtribus ſalibus ſaturatus ſanguini affunditur; hinc vitium lymphæ, & aliis fluidis communicatur, quod cum uſura .... Sanguini.

Quapropter Indicationes Medicæ ſunt tollendi colliquationem ſanguinis, eumque reducendi ad nativam Craſim, & debitum ſubſtantiæ modum, auferendi irritationes, & congeſtiones, juvandique totius corporis nutritionem; quibus omnibus licet difficile ſit ſatisfacere, curationem tamen proſequi expedit. Pro lenienda igitur alvo, ſufficiant clyſteres ex jure hordei, vel oleo amygd. dulc. & pro alterante conveniet ſerum Caprile depura., cui miſcerem aliquot guttas tincturæ chalybis, vel aliud blandum chalybeatum. Deinde ex uſu ſit lac aſinæ, cui addat pulverem totius cancri calcinati: at ſi ſerum non arrideat, paretur jus chalybeatum, & alteratum branca urſina, hedera terreſtri, & hordeo decocto. Decoctum pariter paratum carne vituli, caudis cancror. fluvialium, tenticula paluſtri, & ſimilibus utile erit, ſi lac tolerare non poſſet. Interdiu uſurpet rotulas paratas ocul. C. C. uſto, antimo. diaphoret. ſeminibus papave. albi, ſacchar. condit., & aqu. violar., vel fiant tabellæ antimo. diaphoret. & ſacchar. roſato tantum. Uſus propoſiti antihectici Poterii rite parati opportunus erit. Ante cibum gelat. C. C. aſſumat, & a cœna ſaccharum roſatum cum flor. ſulphur. Potus erit aqua hordei, vel aqua, in qua bulliant Cancri fluviales contuſi, & hordeum decoctum. Victus ratio tam prudenter inſtituta proponitur, ut nil addendum ſuperſit. Pauca hæc, &c. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM XXXVI.

Tuſſis, Sputum copioſum cum Sanguine, Febris, & univerſalis Macies.

Convenio cum Doctiſſimo Viro Nob. P. copioſo ſputo, hocque heterogeneo laborare, confluente a toto materia acida, & eroſiva: alias enim primo gravida enormem paſſa eſt a naribus Sanguinis hæmorrhagiam, deinde ſcabie per plures menſes laboravit, & tandem hac ſuppreſſa, ſputum copioſum manifeſtatum eſt, erumpente etiam Sanguine; hunc comitatur tuſſis, raucedo, febris, & totius corporis macies. Succedunt autem hæc omnia, quatenus Sanguis eroſivis ſalibus ſaturatus, dum pulmones, & tracheæ glandulas ſubit, facta ulteriore, & morboſa inſinuatione, in tracheæ fines, & pulmonares veſiculas irruit, ubi facta congeſtione, & irritatione eoſdem ad motum excitat, unde tuſſis, & ſputum copioſum. Contingit vero raucedo: nam loco oleoſi ſucci a tracheæ glandulis eructati, quo faucibus lenitas concilietur, erodens ichor extillat, qui aſperitatem inducens raucedinem manifeſtat. Excitantur pariter febres; nam improportionata in pulmonibus ſuſcitatur fermentatio a mixtura acidioris lymphæ, ſanguinis, & chyli, & poſtremo contabeſcit univerſum Corpus: etenim acriori reddito Sanguine, nutrimentum potius a partibus abraditur, quam eiſdem addatur. Vitium hoc in Sanguine ortum traxit a labe Parentum, a prava victus ratione, & conſimilibus.

Indicationes itaque emergunt dulcificandi Sanguinem, & firmandi compagem minimam pulmonum, ne factis in iiſdem congeſtionibus, ſenſim fiant tubercula, quæ patentem phtyſim inducant; vel plus juſto diductis poroſitatibus, & excitatis conſpicuis hiatibus, non ſolum ſero Sanguineo, verum totius Sanguinis corporaturæ via aperiatur. Pro his explendis varia hucuſque ex methodo adminiſtrata ſunt præſidia, & alia proponuntur. Pro lenienda igitur alvo convenient blanda medicamenta, & præcipue Ol. amygd. dul. s. ig. extra., clyſteres pariter ex eodem oleo vel butyro, aut jure hordeaceo. Cæterum caveat a reliquis irritantibus, & Scamoneatis. Alterantium loco laudo propoſitum lac aſininum

num cum Sacchar. roſat., cui etiam miſceri poterit antimoni. diapho. rite præp. At ſi hujuſmodi lac non admittetur, parari poterit decoctum canc. fluvi. in aqua hordeacea, in qua ſimul bulliat lenticula paluſtris, pimpinela, hedera terreſ., & hord. decoct. Interdiu utatur Syrup. de eryſimo, vel de hedera terreſtri: uſurpet pariter tabel. parat. ocul. cancro., flor. ſulphur. ſale prunelle, ſacchar. candit., & aqua violar., & irrorentur gutt. aliquot balſa. peruvi. Cum cibo ex uſu ſit pulvis Halii Abbatis. A cœna aſſumat Sacchar. roſat., & conſerv. viola., cum coral. pulve., & raſu. matr. perla. Frequenter potet ptiſanam hordeaceam, & emulſiones ex amygd. dul. in aqua viola. factas. Parce cænet, & caveat ab acidis, & acribus. Pauca hæc habebam, &c. Faxit Deus.

CONSILIUM XXXVII.

Tuſſis cum ſputo, Calculi renum, & dolor articulorum.

Ex his, quæ in exarata ſcheda habentur, patet Potentiſſimum Regem diverſis morboſis affectionibus tentari, quæ probabiliter ab uno fonte exortum trahunt. Veriſimile namque eſt, acidos ſales in hypocondriis cumulari, qui una cum chylo ſanguini affuſi circulatione media varios manifeſtent morbos. Etenim inquinatus, dum pulmones ſubit, eorumque glandulas, parum remoratus ſuis ichoribus ſalinis poros plus juſto aperit, unde non ſolum halituoſis particulis, verum etiam craſſiori lymphæ in veſiculas pulmonares, & trachearum fines aditus patet: hinc congeſtione facta, inducta craſſitie, irritatio ſuccedit, & inde tuſſis, & ſputum. Eadem etiam acida inquinamenta ad renes deducta volatilibus particulis deſtituta tartaream materiam ferunt: nam in naturam calculi coaleſcunt. Ab eadem quoque ortum trahunt articulorum dolores: nam ſanguis ſalibus acidis ſaturatus cum per glandulas miliares cutis non depuretur ſuccedente facili tranſpiratione, dum articulorum arctos ſubit meatus, ſales deponit, a quibus membranæ, & tendines vellicantur, & ſubſequens ſanguis retardatur; & ita leves fiunt congeſtiones, a quibus dolor, & tumor. Expoſita inquinamenta ſalina, ut alias innui, in imo ventre exoriuntur, enervatis.

vatis fermentis ventriculi, & reliquarum abdominis glandularum, a quibus chylus non ex toto dulcificatur, unde ſylveſtres ſales Sanguinis maſſam ſubeuntes ipſam inficiunt: quapropter vitium etiam viſceribus, & ſecundariis humoribus, & præcipue lymphæ communicatur, quæ in pulmones introducta ulteriore motu labem in Sanguine, & continentibus pulmonibus auget.

Quare Medicæ Indicationes ſunt dulcificandi Sanguinem abſumendo ſylveſtres ſales, vel ſaltem ipſos miſcendo, inconſpicuoſque reddendo, tollendi congeſtiones, præcipue in pulmonibus, firmandique viſcerum compagem, & eorum fermenta. Ut igitur producta ſaltem curentur, cum radix difficillime tolli poſſit, curationem proſequi expedit. Pro alvi lenitione ſufficiat Ol. amygd. dul.'s. ig., vel ſaltem Caſſia, aut frequens uſus tartari: valida enim purgantia vehementem fluidis motum, & eroſivos ſales impertiuntur, unde tenella pulmonum ſubſtantia lædetur. Pro dulcificandis fluidis conveniet ſer. Capr. colatum: acres enim ſales abluentur, & per urinæ vias eliminabuntur. Huic addi poterit antimonium diaphor., & opportuno etiam tempore lac vacci. potari poterit, coctum cum quarta parte aqu. violar. Interim pulmenta in lacte vaccino coqui poterunt. Urgente tuſſi utile erit decoctum hederæ terreſt. vel ejuſdem ſyrup. vel ſyrup. papa. errat. Præcipuum ſtudium ſit in procuranda coctione, unde amara convenient, ut Cichor. Sylveſtr. his enim roborantur prima fermenta, & acidi ſales atteruntur. Conveniet etiam pro firmando ventriculo pulvis ſtomachicus Querce., vel ſaltem mixtura ex ſale abſynth. oculis cancro.; raſ. ebor.; & nitro purif. Cruditas vitetur, ſicut & ciborum varietas, abſtinendo perpetuo ab acidis, piperatis, & impenſe ſalſis. Hæc indicabam pro ſalute Potentiſſimi Regis. Faxit Deus, &c.

CON-

CONSILIUM XXXVIII.

Thoracis affectio cum tuſſi, reſpirandi difficultate, Sputo ſanguinis, &c. cum ſuſpicione Luis Gallicæ.

EX his, quæ habentur in ſcheda patet, Egregium Virum thoracis affectione laborare. Inquinamenta namque totius corporis, quæ naturam ſapiunt eroſivam, dum attingunt glandulas tracheæ, & tenellam pulmonum ſubſtantiam, fixantur, & congeſtione facta tuſſim, reſpirandi difficultatem, & quandoque pleuritidem efficiunt; tandem eroſione facta ſanguinis eruptionem manifeſtant. Quare probabile eſt ex vitio perennante in toto ſanguine, & lympha vitiari compagem minimam pulmonum, unde de facili remorantibus humoribus gravitas inducitur, & pulmonum pori, quibus tranſpiratio celebratur, plus juſto aperiuntur, & periculum eſt, ne vaſa erodantur ob acredinem ſtagnantis materiæ, vel ſaltem cruda ſuſcitentur tubercula, & ita evidens manifeſtetur phtyſis.

Medicæ igitur Indicationes ſunt corrigendi vitium totius maſſæ Sanguineæ, & firmandi pulmones. Pro quibus aſſequendis varia proponuntur præſidia. Pro lenienda alvo utilis erit uſus ol. amygd. dul. s. ig. extra., vel Caſſia cum pulpa tamarind. Cæterum ſuſpecta ſunt reliqua ſolventia, cum communicato motu, & additis particulis eroſivis, & irritantibus lacerationem in pulmonibus efficere poſſint. Pro alteratione convenient propoſiti ſucci ex ſonco, Violar. heder. terreſtr., & ſimilibus per XX. dies; deinde aſſumat Serum Capri. ad ℥viii. per hebdomadam, & tandem potet lac aſininum. Et ut Gallica lues, ſi quæ ſit, tollatur, aſina nutriatur alimento irrorato decoctione ſalſæ Parillæ, & ligni Sancti, & ex uſu ſit XXXX. diebus, quo tempore abſtineat a vino, vel parce eo utatur, & potet decoctum paſſularum. Opportuno tempore aſſumat aquas thermales, & arridet præ reliquis aqua Nuceriæ. Interdiu ex uſu ſint tabellæ paratæ oculis cancrorum, ſale prunel., antimon. diaphore., ſacchar., & aqu. Violar. A cæna uſurpet ſacchar. roſatum.

Pul-

Pulmenta coquantur in lacte vaccino, & ſint frequenter ex Oryza. Circa mercurialia dubitari poteſt, ne ulteriorem labem in pulmonibus inducant. Pauca hæc indicabam pro ſalute, &c. F. D. &c.

CONSILIUM XXXIX.

Sputo di Sangue.

HO letto al Signor Fabri la ſcrittura inviatami da V. S. Eccellentiſſima, motivandogli ciò che ella accenna nella ſua. L' ho parimenti moſtrata al Signor Dottor Muratori, e ad altri amici, i quali concordemente col Signor Fabri penſano, che l' uſo del latte aſinino nel caſo propoſto ſia neceſſario, e ragionevole: atteſochè lo ſputo di Sangue manifeſtato nel Nobiliſſimo Paziente moſtra un grandiſſimo ſconcerto dell' economia del Corpo, eſſendoſi con il progreſſo del tempo mutata la natura, e compoſizione della maſſa del Sangue, e conſeguentemente della linfa, e degli altri fluidi, e fermenti delle viſcere. Onde alterato il moto inteſtino, e locale del Sangue, e rendutoſi queſto troppo acido, ed eroſivo, ed analogo ad un'acqua forte, non è maraviglia ſe con la circolazione ſi fanno abraſioni nelle carni, e nelle glandole, ſe ſuccedono eſcrezioni ſmoderate, e finalmente ne i polmoni, dove i vaſi ſono teneri, minimi, e rari, ne ſiegua un' eroſione, ed apertura, anzi coll' avvanzamento del tempo tubercoli, ed abſeſſi. Queſto progreſſo lo moſtrano i varj accidenti, che s' oſſervano, e la ſezione de' Cadaveri. Suppoſto queſto dunque l' arte deve procurare di rifare, e ridurre la maſſa del Sangue alla ſua prima natura di dolcezza, e di miſtura, acciocchè ſucceſſivamente le parti ſolide non reſtino lacerate, e gli altri fluidi, e fermenti corrotti. Ne' tempi antichiſſimi, nei medii, e nei correnti il latte è ſempre ſtato ſtimato a propoſito, e valevole per li ſuddetti fini, e giornalmente vien praticato. E perche ſi tratta di rifar il tutto, cioè i fluidi, e li fermenti, e riparare le parti ſolide, ſi ricerca un lungo uſo del detto latte, il quale introducendo a poco a poco le ſue particelle dolci nella Maſſa del Sangue, e nei fluidi particolari, con lunghezza di tempo inſenſibilmente li muta, e quando ciò non

ſucceda, è certo, che la forza de' fermenti corrotti è divenuta un' altra natura, che muta nelle ſue condizioni il rimedio, e così non ſegue la ſanità; perchè *reliquum ſanitatis eſt, quod facit ſanitatem*. So che alcuni autori lodano i Decotti, ſperando di eſtirpare le parti eroſive, che dalle glandule, e dalla Maſſa del Sangue, sboccano. Io con tutta l' attenzione, ed oſſervazione poſſibile ho il tutto provato, e fin ad hora non ho incontrato la felicità, che viene ſcritta, ma ben sì ho veduti aumentarſi gli accidenti, e lo sbocco d' umori. Queſto è il Sentimento del Signor Fabri, e de' miei amici; il quale parmi fondato ſu l' eſperimento, e ſu la ragione. Nè V. S. Eccellentiſſima ha di biſogno, che le ſue mature, e prudenti determinazioni vengano corroborate da altri, non che controverſe, e poſte ſotto la Cenſura. Viva ſuperiore a queſte coſe del Mondo, e ſimile a ſe ſteſſa, mentre facendole humiliſſima riverenza, mi confermo, &c.

CONSILIUM XL.

Sputum Sanguineum Singulo Menſe.

ITa docte, & eleganter exponitur morbus, ejuſque cauſa, qua torquetur Nob. Mulier, ut ulteriori non opus ſit indagine. Notus eſt morbus: periodica ſcilicet ſanguinis ſingulo menſe a pulmonibus per ſputum excretio. Hujus cauſa eruditiſſime proponitur a Præclariſſimo viro. Probabile enim eſt, ſuppreſſa, vel valde imminuta menſtruali per uterum purgatione, refluum ab eodem Sanguinem pulmonum vaſa ſubeuntem, eorundem hiatus plus juſto aperire, & in veſiculas pulmonares, & tracheas irruendo ſputo tandem excerni; nam menſtruorum tempore vigente Sanguinis copia, vel ſaltem actis in motum ejuſdem particulis, & ſalibus, quibus fermentatione media hiatus uteri ex naturæ legibus in integre ſanis aperiuntur, ſuperata videlicet reſiſtentia fibrarum, quibus externa oſcula vaſorum in utero, & vagina firmantur, de facili reticularibus pulmonum vaſculis vis infertur, & membranis quibus pulmones integrantur: unde meatus diducuntur, & laxantur, ita ut congeſtione facta in Cellulis pulmonaribus, ſuccedente irri-

irritatione natura ſputum promoveat. Sanguis igitur acidior, & impurior redditus, non ſolum ex copia particularum vitriolo analogarum, quæ ex naturali temperie perpetuo coacervantur, verum etiam ex morboſa ſtagnatione in utero, ubi majorem ex mora contrahit aciditatem, felicem, & nativam non ſubit circulationem, ſed interceptus ſenſim excitat congeſtiones, & exinde eruptiones periodicas, unde ceſſante orgaſmo, & motu, natura reſtituit antiquam compagem, & mixturam.

Indicationes igitur ſunt promovendi nativam per uterum excretionem menſtrualem, tollendo impedimenta viarum, & depurando ſanguinem, firmandi pulmonum compagem, ne perennante vitio novus fiat in iiſdem morbus ſuneſtus, & inevitabilis. Pro his itaque aſſequendis, prudenter proponitur curatio a Præclariſſimo viro. Opportunitate veris leniatur primo alvus Ol. amygd. dul. s. ig. extra. vel Caſſ. vel ſimili blando medicamento, abſtinendo a reliquis, quibus major motus communicari poteſt, & tenellæ pulmonum partes irritari, & lacerari poſſunt. Pro alteratione autem laudo jus pullæ propoſitum. Chalyb. alterat. fol. lupul. agrimon., Cicerbitæ, borag., radic. grami. & ſimil., cum quo aſſumat ſyrup. de althea; cui addat gutt. aliquot ſpir. Sal. armoni., hiſque utatur per XV. dies, deinde ex uſu ſit ſerum Capril. colat. cui addat tincturam propoſit. chalyb., vel ipſum Sal martis, aut ejuſdem Crocum, cui miſceri poterunt guttæ aliquot olei ſulphur., & hæc uſurpentur XL. diebus. Interim venæ ſectio in brachio primo, deinde in pede inſtituatur. Circa cauterii adminiſtrationem, ſi gracilis ſit habitus corporis, non excitarem, cum per ipſum corruptum tantum ibidem alimentum in exulceratam partem propulſum excernatur. Vinum alteretur infuſione Chalybis, & fol. abſynth. romani, quo diu utatur. Condiat juſcula, & cibaria ſale abſynth. Interdum utatur tabellis paratis ſemi. alth. pulve., ocul. Cancr. flor. ſulphur. ſacchar. candit., & aqu. viola. Inſtantibus menſibus per aliquot dies fricationes propoſitæ fiant, & potet juſculum alteratum rubia. tinct. fol. mercurialis, & radic. fænicul., additis gutt. ſpir. Sal. armon. Cæterum circa victus rationem, & externa tam inge-nioſe diſponuntur, ut mea non egeant deſcriptione. Hilare igitur vivat, & locali motu moderate exerceatur, caveendo perpetuo a rebus acidis, acribus, & impenſe ſalſis; Carnes ſint facilis coctionis abſque condimentis, & parce cænet. Pauca hæc habebam, &c.

L 2 CON-

CONSILIUM XLI.

Spaſmo del Cuore col polſo impetuoſo, e grande, &c.

LA cagione de' varii ſintomi, che ſi ſono oſſervati nel Signor Abbate, ha origine probabilmente nel ventre inferiore, li cui viſceri, mediante la ſnervatura de' proprj fermenti, non perfezionano abbaſtanza la prima cozione: onde reſtando il Chilo non intieramente depurato, ne dulcificata la maſſa del ſangue, ne il reſtante de' fluidi, ſi rendono un poco acidi, ed agri, e però negli anni addietro ſi oſſervò una toſſe ſecca, che lo moleſtava con una voce rauca, effetti di una mancanza d' umore pingue, che naturalmente ſuole ſgorgare dalle glandule della trachea, e d' un' abondanza d' acidi, che irritano i nervi, e le membrane del petto. Ora mantenendoſi in tutta la maſſa del ſangue qualche copia de' ſuddetti acidi, ed altri ſali ſilveſtri, il cuore dal paſſaggio del ſangue vien irritato come da uno ſpaſmo leggiero, e così ne ſegue una coſtituzione del detto moto più veemente del ſolito, e conſeguentemente il polſo ſi manifeſta più impetuoſo, e grande. Il peſo che di continuo l' opprime, è un prodotto della ſteſſa cauſa; atteſochè il ſugo nerveo non è intieramente volatilizato, e per conſeguenza non fa la dovuta tenſione nelle fibre del Cervello, e dei nervi. Queſta conſtituzione morboſa, oltre la diſpoſizione naturale, veriſimilmente viene fomentata dallo ſtudio fatto intempeſtivamente, e particolarmente doppo il Cibo, non communicandoſi l' affluſſo degli ſpiriti animali alle viſcere naturali, ed inſinuandoſi il Chilo nel ſangue prima d' aver ricevuta tutta la dovuta cozione, &c.

Le indicazioni adunque ſaranno di perfezionare quanto è poſſibile la prima cozione, depurando gl' ipocondrj dagli acidi, e corroborando li viſceri inferiori, ed i loro fermenti. E per tanto crederei, che a prima ſtagione ſi ſerviſſe del ſiero Caprino depurato, prendendone ℥ vii. al quale, col progreſſo del tempo, ſi potranno aggiugnere da viii. goc-

cio-

ciole di tintura d'acciajo. Il brodo parimente di polla acciarito, ed alterato con le foglie di Cicoria, e di boragine ſarà a propoſito, non potendoſi avere il ſuddetto ſiero Caprino. Il vino acciarito preſo a tavola lungamente gioverà; come anche l'infuſione della radice di Boragine nel vino. La polvere dei teſtacei, cioè di Madre perla, Corallo, ed occhio di Granchio nella conſerva di Boragine, e d'Aſſenzo ſi potrà uſare, come anco il ſal di Aſſenzo, ſervendoſene per condimento. Li bagni d'acqua dolce praticati nella ſtagion calda poſſono molto giovare, ajutando il traſpirato, come il moto locale opportunamente praticato. Queſto è quel poco, che poſſo motivare per la ſalute di un Padrone, ed amico, a cui ſommamente devo, e deſidero una intiera Salute, &c.

CONSILIUM XLII.

Præcordiorum turbatio, ac in utroque pulſu irregularitas, & intermiſſio.

Varia morborum genera, quæ in Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Viro longo temporis tractu obſervata ſunt, eandem cauſam agnoſcunt, juxta illud Hipp. *de Flatibus. Una eſt ſpecies, & cauſa morborum; locus autem differentiam facit.* Probabile enim eſt, ex copia ſalium ſylveſtrium primo excitatam fuiſſe podagram, interceptis hujuſmodi inquinamentis in articulorum anguſtiis; iiſdem quoque in fluidorum maſſa ſtagnantibus, colliquationem in ſanguine inductam fuiſſe, ex qua apertis plus juſto glandularum renalium porulis, copioſa effluxit ſeroſitas; hinc urinæ profluvium, quod licet diminutum ſit, adhuc tamen in laxata fluidorum compage copioſum ſeparatur lotium. Elapſo anno interceptis exaratis ſalibus in muſculis, & glandulis gulæ facta congeſtione, turbataque peculiari circulatione periculoſa manifeſtata eſt angina. Convulſis pariter cerebri fibris, & præcipue in thalamis nervorum opticorum non ſuccedente expetita terminatione ſpecierum, vertigo eſt ſuborta. In hyeme quoque enervatis carneis lacertis, ſanguis plus juſto ſtagnans tenſionem exhibuit. Nunc vero raro ſucceden-

dente ad articulos decubitu; præcordia turbantur, unde in utroque pulſu irregularitas, & intermiſſio obſervatur abſque rythmo. An hoc novum ſymptoma ſuccedat vitio fluidi, an viarum, difficillimum eſt determinare; naturalis enim pulſus exigit, ut patentibus viis debita ſanguinis quantitas ſtatuta temporis differentia, ab extremitatibus venoſis in auriculas cordis fluat, ab his in ventriculos, a quibus in hiantes arterias propellitur: cum hac tamen ratione, ut arteriæ tubus proportionatam ſervet latitudinem, & ejuſdem carneæ ambientes fibræ tonico polleant motu, ita ut felix ſuccedat ſanguinis tranſmiſſio ad partes, nec ſubſiſtat in præcordiis, ſed manifeſtato impulſu per continuatas, & appenſas arterias pulſus appareat. Non videtur autem aliquid polypoſum in vaſis cordis, & pulmonis extare, cum nullum adſit in præcordiis pondus, nulla reſpirandi difficultas in aſcenſu, corporis habitus floreat, & ſanguinis polypoſam materiam non ſapiat. Quapropter ſatius credam, vaſorum irritationem, & convulſionem inductam fuiſſe a ſalibus podagricis ſanguini mixtis, a quibus ſolicitatæ carneæ fibræ externos Venarum hiatus ambientes, ſeu auriculas cordis, inordinatam motionem promoveant. Et quoniam eadem irritatio arteriæ communicari poteſt; ideo etiam nullo exiſtente objecto corpore, in pulſus communicatus a corde intercipi poteſt, unde pulſus intermiſſio. Probabile enim eſt, ex podagrica materia levem quandam eryſipelatoſam conſtitutionem, & ſtagnationem in pulmonibus, & præcordiis vigere, ex qua media nervorum contractione viarum libertas turbatur. Inter cauſas externas non ultimum locum habent animi pathemata: ex mærore namque contrahuntur nervi, unde anguſtatis vaſis, retardatoque fluidorum motu, ſanguinis maſſa non rite volatilizatur, & depuratur.

Indicationes erunt igitur tollendi præcordiorum irritationes, eorundem libertatem inducendi, curandique, ut podagrica inquinamenta ad ambitum corporis deducantur, & diſſipentur, non neglecta primarum viarum lubricitate, cum morboſa materia per renes derivari nequeat. Pro his explendis curatio inſtituatur, & pro alvi lenitione conveniet ſenæ infuſio, vel frequens uſus ſyrup. de Cichor. cum Rhabar. duplicata hujus doſi. Uſus quoque tartari ſæpe repetitus utilis erit. Clyſteres pariter emollientes injiciantur. Pro alteratione uſurpari poterit, hoc æſtivo tempore ſerum Caprile colat. cum antimo. diaphor. vel ejus loco aſſumat pulverem Viperinum cum ſuccino albo. Autumno autem ex uſu ſit infuſio chinæ cum modico Saſſafras, & limatura Cor. Cer. abſque

abſque forti ebullitione in aqua melif. , vel violar. Cruſta-cea opportuna erunt , & parari poterunt tabellæ , quæ irro-rentur modico ſpiritu Cor. Cer. Cophè a prandio ſumptus juvabit. Vinum temperet aqu. meliſſæ . Potulenta , & liqui-da alterentur extinctione igniti chalybis: motus localis etiam equitando inſtituatur . Frictiones in extremitatibus celebren-tur , curetque , ut podagra manifeſtetur . Frequenter bulliat lima. C. C. , vel raſuram eboris in pulmentis , & interdum cum cibo aſſumat gelat. C. C. Victus ſit attenuans , & faci-lis digeſtionis , cavendo a ciborum varietate , & ab acidis . Pauca hæc ægro corpore dicebam . Faxit Deus, &c.

CONSILIUM XLIII.

Hydrops pulmonum cum tumore aquoſo in ambitu corporis.

EX brevi , & compendioſa ſymptomatum hiſtoria , quæ in Nob. P. obſervantur, colligi poteſt , hunc tentari hy-drope pulmonum , cui nectitur pariter Scroti , coxa-rum , & crurum tumor, Morboſa hæc affectio ortum trahit a ſoluta totius ſanguinariæ maſſæ compage , & exaltatione e-rodentium ſalium , unde cruor colliquatur , & inter circu-landum labefactato motu conſtrictivo partium , & venarum præcipue , intercipitur , & ſtagnat ſeri portio, unde tumor . Suc-cedit autem primo in pulmonibus , per quos tota ſanguinis maſſa effluit , cui adduntur lympha , & Chylus ; quæ omnia non debite miſcentur , & fermentantur , ſed a ſalibus ſylve-ſtribus inexiſtentibus in lympha colliquantur ; unde produ-cti ichores , facta ſibi via in poros pulmonum , & exinde in concavitatem thoracis , eorundem pondus augent , minuunt-que vacuitatem pectoris : hinc difficultas ſpirandi ſubſequitur . Ex eadem etiam cauſa ſuccedit tumor aquoſus in ambitu cor-poris : nam Sanguis in pulmonibus non rite fermentatus , & copioſis eroſivis ſalibus ſaturatus in reliquum Corpus tranſ-miſſus, inefficax redditur pro tranſpiratione , & enervato peri-ſtaltico partium motu , non eadem felicitate revehitur , qua per arterias propellitur: unde ſeri congeſtio , & ſucceſſive tu-mor.

Indi-

Indicationes igitur ſuccedunt tollendi Sanguinis congeſtio-nem in thorace factam, derivandi ichores ad vias urinæ, re-ſtituendi debitum tonum, & craſim Sanguini, & firmandi viſcera. Quibus ſatisfacere difficillimum eſt ob læſam totius corporis œconomiam, & præſertim præcordiorum, & thora-cis. Ut autem opem feramus N. P. quædam proponemus re-media, ſaltem pro mitigatione ſymptomatum. Pro lenien-da alvo ex uſu ſit oleum amygd. dul. s. ig. extra., quod fre-quenter etiam potari poterit loco cibi. Interdum uti ſoleo ſequenti remedio. ♃. Seri Vacc. lib. ii. fol. ſenæ ℥ iii., zin-zibe'. ℈ i. ſacchari ℥ 5. Maceren. Doſis ℥ iv. Clyſteres quo-que ex ole. amygd. dul., & emollientibus. Pro facilitanda reſpiratione & derivando ſero ad vias urinæ laudo uſum ſpi-ritus Terebinth., vel ſpir. Sal. dulci. cum juſculo Chalyb.; in quo bullierint radices altheæ, grami., & fol. abſynth., & Cheref.; hiſque utatur, donec tranſacto æquinoctio ſuccedat aliqualis reſpirationis libertas, & urinæ copioſius fluant. Quæ ſi Deo dante ſuccedant, cogitandum erit de reſtituenda nativa compage ſanguini, quod præſtari poterit tinctura Chalybis, vel Croco Martis adſtring. cum jure Chalyb. altera. fol. marub. abſynth., & ſimil., hæcque longo tempore uſurpet. Interea interdiu utatur his tabellis. ♃. Semi. alth. ℥ i. flor. ſulphur. ℥ 5. ſacchar. candit. q. s. Cum ſufficienti quantitate aqu. vio-la. :f: tabellæ. Urgente etiam difficultate reſpirationis, potet ſyrup. de Ibiſco cum gutt. aliquot ſpiri. Sal. armon., vel ſuc-cum expreſſum a rapis elixatis, & pauco ſaccharo conditum. Vinum alteretur infuſione Chalybis, & abſynth., vel ſaltem in eo extinguantur ſilices, quibus elicitur ignis, igniti, & juſcula ſaliantur ſale abſynth.. Circa localia partes affectæ fo-veantur aqua ſalita, & Chalyb., in qua folia quercus co-quantur, vel fiat ſequens fotus. ♃. urinæ pueri lib. iv. ſalis prunellæ ℥ iii. Bull. ad conſumptionem tertiæ partis. &c.

CON-

CONSILIUM XLIV.

Hydrops pectoris cum ædematoſo pedum, & crurum tumore.

Notus eſt morbus, quo torquetur Illuſtriſſimus P., hydrops ſcilicet pectoris, qui poſt hypocondriacam affectionem manifeſtatus eſt, cui adduntur pedum, & crurum ædematoſus tumor, & contumax inappetentia. Succedit autem exarata morboſa affectio vitio fluidi univerſalis; namque veriſimile eſt, ſanguinem a ſalibus acidis fundi, & colliquari, unde ablata debita mixtura, & compage, novæ aperiuntur viæ, præcipue in pulmonibus, in quibus intercepti ichores eorum molem ponderatiorem reddunt, hinc difficultas ſpirandi. Idem quoque cruribus, & pedibus accidit; dum delata per arterias ſeroſitas in carnibus intercepta ſtagnat, ac labefactato tonico partium motu, in venas non exprimitur. Inappetentia quoque viget; nam ventriculus debita ſucci nervei irroratione privatur, & loco proprii ſucci a toto confluentes ichores recipit, qui naturalem tenſionem, ſenſumque in fibris non excitant, nec cibariorum attritionem perficiunt. Hanc morboſam conſtitutionem induxere inquinamenta acida, & analoga aquæ forti in hypocondriis genita, quæ chylo mixta tandem ſanguineam maſſam particulis acribus, & eroſivis turgidam reddiderunt.

Quapropter Medicæ indicationes ſunt, tollendi colliquationem in fluidis, dulcorandi Sanguinem, auferendi congeſtiones in partibus, &, ſi natura permittat, deducendi ad vias urinæ morboſos ichores. Pro his aſſequendis video artis præſidia prudenter adminiſtrata fuiſſe. Lenientia igitur alvum caute quidem adminiſtranda ſunt: unde oleum amygd. dul. s. ig. extra. tuto adminiſtrari poterit. Pro alterante, ut debita ſanguini compages reſtituatur, & colliquatio tollatur, chalybeata conveniunt, & in ſimilibus uti ſoleo rubigine ferri cum ſucco concreto cichor.. Poſterius utatur ſpecifico ſtomachico, & croco Martis. Juſcula alterentur extinctione ſilicum ignitorum. In vino infundat Chalybem. Saliat juſcula, & Carnes ſale abſynthii. Fluente libere urina, ex uſu ſit

ſpirit. Salis coagulatus Hadr. Amynſycht. Suo tempore etiam raparum elixatarum ſuccus ſaccharo candito conditus interdum frequenter ſumptus faciliorem reddet reſpirationem, deducendo ichores ad vias urinæ. Victus ratio ſit exquiſita, & tenuis. Pauca hæc innuebam in medio mearum occupationum, eaque doctiſſimo, & acri Prudentiſſimi Medentis judicio ſubjiciebam. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM XLV.

Singultus, Vomitus, Dolor Ventriculi, & Angor, &c.

EX his, quæ eleganter, & abunde a Præclariſſimo Viro exarantur, patet, Nob. V. affectione ventriculi, & adjacentium partium laborare. Singultus namque, vomitus, ventriculi angor, & dolor, cum totius corporis tumore, & capitis imbecillitate, membranarum, quibus ventriculus integratur, irritationem ex nervorum affectione ſubortam probabiliter indicant. Probabile enim, & rationi conſonum eſt, inquinamenta, quæ febrim excitabant facto decubitu in nervorum finibus, membraniſque ventriculum amplexantibus, convulſiones in hujuſmodi partibus excitaſſe: unde de facili muſculoſa ventriculi portio a cujuſcumque etiam levi appulſu ad motum excitatur, & ita ſingultus ſuccedit, & ſtato tempore contenta a ventriculo vomitu ejiciuntur. Cibus etiam ſuo pondere gravat, & Saliva, ichoreſque expreſſi a glandularum poris ventriculi fibras ad motum excitant. Compatitur autem caput cum appenſis nervis, eo quia nervi vagi extremitates ad ventriculum, & adjacentes glandulas derivantes ex morbifica materia, quæ olim febrim ferebat, convulſæ, & commotæ ſpiritibus, & ſucco nerveo motum inordinatum, inſolitumque communicant: unde viſus læſio, totius corporis, & præcipue capitis languor, & tumor. Læditur pariter prima concoctio ex adajcentium glandularum convulſione: unde fermenta non detinentur, nec debito tempore cibis, & chylo affunduntur, & ex perenni vomitu totius corporis habitus debita alimonia privatur; unde univerſa œconomia læditur. Unum quoque addendum, in

in hujuſmodi affectibus in fundo ventriculi, vel ſaltem in adjacentibus partibus glandulofis ex nervorum convulſione abſceſſus fieri, & tumores, qui poſtremo peſſimam acquirunt naturam, a quibus non ſolum ſubſtantia ventriculi ad vomitum excitatur, ſed viæ interdum anguſtantur, &c.

Indicationes igitur occurrunt tollendi irritationem, & convulſionem ventriculi, ut cibaria, & fermenta debito tempore detenta concoquantur, & abſceſſus, & eroſiones in membranis ventriculi, & adjacentium glandularum avertantur. Pro quibus aſſequendis plura, & plura licet, incaſſum tamen video adminiſtrata remedia. Laudo igitur frequentem uſum ol. amygd. dul. ſ. ig. extra. ſummo mane, & ante cenam aliquot cochlearia. Uſus quoque ſeri Caprili colati longo tempore uſurpatus opportunus erit, vel ſaltem ejus loco uterer gelat. C. C. ſuperbibendo jus pullæ alteratum cum foliis portulac., plantag., menthæ, borag. Tandem tentarem uſum lactis aſinini, quo angor, irritatio demulceatur, viæ laxentur, & ſi quid exulceratum eſſet, detergatur, & conſolidetur. Cum cibo convenient interdum gutt. aliquot balſami Peruviani; Succus quoque cydoniorum, & pulmenta abſynthii ſale condiantur. Emulſiones quoq; ex amygd. dul. juvabunt. Exterius Cataplaſmata ex aceto Roſato, & cydonio. in aceto coct. parentur. Vel tandem aqua Roſarum cum modico Camphoræ, & ſucco limonum pro linimento conveniet. Abſtineat a Vino, &c.

CONSILIUM XLVI.

Vomito.

IL vomito con gli altri accidenti dimoſtrano una corruttela del ſugo dello ſtomaco, e probabilmente una viziata ſtruttura dello ſteſſo; atteſochè in caſi ſimili la ſoſtanza glandoloſa ſi eſulcera, e creſce, facendo tumori, onde dal tutto ſi riceve copia di fieri; ſi turba la cozione, s' impediſce la propagazione dell' alimento, e s' inverte il ſuo moto. Non ſo, ſe l' arte poſſa riparare la ſtruttura, e correggere il vizio de' fermenti, e de' fluidi; eſſendoſi fino a

queſt' ora prudentemente praticati i più generoſi rimedj della medeſima. Per non laſciar l' infermo ſenza ajuto, motivarò alcune coſe. Mi ſervirei adunque del ſiero Caprino colato, agiungendovi alcune goccie del Balſamo del Perù; e caſo non tolleri il ſiero Caprino, prenda un brodo acciarito, nel quale ſieno bollite l' Ortica, e l' aſſenzo, meſcolandovi il ſuddetto Balſamo. Si ſerva delle rotoline fatte col ſale d' aſſenzo, e coll' antimonio diafore. cogli occh. di granchio, e colla raſura d' avolio, e col cibo prenda la gelatina di C. di C., e ſi potranno anco replicare que' rimedj, che altre volte hanno giovato. Queſto è quanto poſſo ſuggerire, rimettendomi al più ſano Giudizio di chi regola la cura, deſideroſo della ſalute del Nobile Paziente.

CONSILIUM XLVII.

Vomito Sanguigno.

DAlla ſerie degli accidenti ſin' ora occorſi ſi conoſce che i fermenti dello ſtomaco, e delle glandule delle prime vie hanno acquiſtato un acidità di vetriuolo eroſivo, ed acre, analogo all' acqua forte; onde vien turbata la cozione del cibo, e fatta a tempo un' eroſione, ed apertura ne' vaſi ſanguigni, dalla quale ſi manifeſta il vomito ſanguigno. L' abito anche del corpo è contaminato, onde concorrono icori acidi nello ſteſſo ſtomaco, che cagionano i vomiti di materie ſieroſe. Le indicationi diffimente ſi ponno pigliare, perche ſono contrarie; atteſochè l' acidità, e corruttela de' fermenti richiederebbe coſe alcaliche, rimedj calibeati, e coſe ſimili; le quali poi non ſi poſſono ſicuramente praticare, perchè poſſono aprire le bocche de' vaſi, e provocare il vomito ſanguigno. I rimedj ſin' ora praticati ſono ſtati prudentemente ſcelti, ed in ſimili caſi l' uſo lungo del latte d' aſina ſuol mitigare l' acidità, e l' acredine degli umori, lenire le irritationi delle parti nervoſe, e pure con l' eſperienza ſi conoſce, che non ha giovato. La Polvere ſtomatica del Potero praticata anche eſſa è ſtata inutile, ond' io non ſaprei a che partito appigliarmi. Si potria però tentar l' uſo del ſiero Caprino, alla

alla quantità d'℥ v. nel qual foſſe per v. ore antecedentemente infuſo un poco d'aſſenzo Romano: e caſo queſto non venga tollerato, potrà valerſi del Siero Caprino puro, prendendo ſeco un cucchiaro di gel. di C. di C. Ogni volta (che Dio non voglia) ſucceda il vomito ſanguigno, ſarà bene bollire nella mineſtra di riſo, o d'altro ſimile la radice di Ortica. Queſto è quanto in un caſo così difficile ſi può motivare, &c.

CONSILIUM XLVIII.

Colicus Dolor.

COlico dolore vexatur Nobiliſſimus Comes, ut deduci poteſt ex tranſmiſſa ſcheda. Sydenham, & alii dividunt hanc affectionem in multiplices ſpecies, inter quas recenſent bilioſam; quæ in juvenibus, in calida temperie, & in prava victus ratione, qualis in noſtro P. ſuccedit, manifeſtari ſolet. Gignitur itaque dolor hic in inteſtinis, & præſertim in collo irritatis, & convulſis ipſorum fibris, & extremitatibus nervorum ab aculeatis ſalibus muco, ut plurimum, inexiſtentibus: unde ſpaſmo contractæ fibræ circulationem ſanguinis turbant, lacerando dolorem excitant, & periſtalticum motum vitiant, & frequenter invertunt, turbataque œconomia imi ventris, continuata viſcera in conſenſum trahunt: unde vomitus, aliaque ſymptomata. An bilis ſola copia excitare poſſit hunc morbum, dubitatur: ſatius eſt tamen credere, bilem in hoc caſu morboſam reddi, corruptis, & ad acorem verſis propriis ſalibus, qui mucis commixti, tunicis inteſtinorum hærendo, ipſas quaſi terebrent, & lacerent, aliaque fermenta a pancreate, & reliquis inteſtinalibus glandulis eructata morboſa reddita hanc affectionem adaugeant, vel inducant. Nam non raro lympha ſeu ſerum ab his promitur, quod ſtypticam ſapit naturam, & tincturam gallarum æmulatur, a quo irritatis nervis partes convelluntur. Ex prava itaq; victus ratione in toto corporis habitu exarati morboſi ſales cumulantur, qui ad glandulas imi ventris reflui bilem, reliquaque fermenta inficiunt, & congeſtione facta tandem morbum manifeſtant.

Qua-

Quapropter Medicæ indicationes ſunt depurandi fluidorum maſſam, corrigendi fermenta glandularum abdominis, & firmandi viſcerum compagem. Pro his explendis præſervationis gratia curatio inſtitui poterit. Pro alvi lenitione Ol. amygd. dul. ſ. ig. ex., vel Caſſia cum pulpa tamarind. exhibeatur. Clyſteres pariter utiles erunt parati oleo amygd. dulc., & viola. cum tereben. Venæ ſectio in brachio præſervationis, & Curationis gratia iuſtituenda venit. Pro mundificatione imi ventris convenit ſerum Caprinum colat. tantum, cum quo aſſumat X. diebus pul. ocul. Cancro., & raſu. Matriſperla., deinde horum loco miſceat ſero Capril. tincturam Chalyb. paratam tamaryndis, vel ſucco pomorum: iiſque utatur ſaltem XX. diebus; quibus peractis deveniat ad uſum lactis aſinini, cui miſceat quartam partem aquæ viola. vel ſaltem extinguat in eo ignitos lapides, quibus ignis elicitur; eoque utatur XXX. ſaltem diebus. Poſtremo potet aquas Thermales acidulas, & ſi præſto non ſint, aquam Nuceriæ. Vinum præparari poterit infuſione Chalybis. Urgentè dolore clyſteres emollien. injiciantur; ſectio venæ inſtituatur, cavendo ab impenſe ſolventibus. Circa victus rationem parce cænet, & moderate vino utatur, ac motu exerceatur; equitando. Pauca hæc pro ſalute, &c. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM XLIX.

Alvi fluxus cum dolore inteſtinorum, lumborum, dorſi, ac interdum febris.

Diverſa affectionum Genera, quæ in Ægregio Viro tractu temporis obſervata ſunt, originem traxere ab eadem materia variis partibus intercepta. Etenim, ut doctiſſime innuitur, veriſimile eſt, lympham, & glandularum inteſtinalium ſuccum eroſiva præditum activitate, laceſſitis nervis, & membranis imi ventris, & poſtremo contiguis muſculis, dolorem inteſtinorum, lumborum, dorſi, & ſimilium, ac frequentem alvi dejectionem, & fluxum induxiſſe. Vitiata igitur glandularum inteſtinalium fermenta, & ad naturam vitriolatam, & quaſi arſenicalem immutata inteſti-

teſtinorum membranas erodendo tractu temporis ulcus excitarunt, unde periſtalticus eorundem motus frequenter excitatur, & excretiones contentæ materiæ ſollicitantur. Ab iiſdem pariter coctio perturbatur, unde chylus ex communicatis inquinamentis non debite perficitur, & dulcoratur, ſed in varias corruptorum humorum ſpecies immutatur, qui poſtremo in excretis obſervantur. Hinc laceſſitis nervis, & Fallopiano Faſciculo, dolores lumborum, & horrores ſubſequuntur, & tracto in conſenſum, ob continuitatem membranarum, ventriculo appetitus dejicitur. Ex iiſdem quoque corruptis inquinamentis una cum Chylo ſanguinis maſſam interdum ſubeuntibus, & ex nervorum irritationibus motum fluidorum turbantibus febris interdum ſuccedit, &c.

Indicationes igitur erunt corrigendi vitia fermentorum imi ventris; conſolidandi partes ſolutas, tollendi irritationes; & firmandi ventriculum. Ut autem his ſatisfiat, varia ex methodo adminiſtrata ſunt remedia, & alia quoque proponuntur. Ut itaque vitium corruptorum ſuccorum, exulceratio in membranis inteſtinorum excitata, & nervorum affectio tollantur, laudo ex Hipp. præcepto uſum lactis aſinini XV. ſaltem diebus, quod ignitis etiam ſilicibus præparari poterit. Poſt uſum lactis aſinini devenirem ad lac vaccæ coctum. Aſſumantur itaque ℥ vi. lact. Vaccini, & ℥ iii. aqu. plantag., vel viol, & coquantur, donec totum redigatur ad pondus ℥ vii, & ſingulo mane potetur per menſem. Interim pulmenta in prandio aſſumenda in vaccino lacte coquantur, & ab Hipp. laudatur milium, Oryza pariter, & hordeum uſurpari poterit. Vinum Chalybis infuſione alterari poterit; quod parce tamen ex uſu fit; & ejus loco potetur aqua alterata infuſione, & maceratione C. C., raſuræ eboris, & ſimilium. Juſcula quoque alterari poterunt coctione C. C. & reliquorum, quæ a doctiſſimis viris proponuntur. Cum cibo gelat. C. C. convenient, & interdum pulvis ocu. Cancr. cum terra ſigillat. Interdiu utatur rotulis paratis corallis, C. C. uſto, & ſim., addit. gutt. aliquot balſami peruvi. Clyſteres frequenter injiciantur lacte bubulo Chalyb. vel jure inteſtinorum, aut ſucco hordei parati. Emulſiones interdum exhibeantur ex amygd. dul., & ſemin. cucurbitæ in aqua Viola., & Plantag. Poſt cibum conſer. roſar., vel Cydonior. aſſumi poterit. Pauca hæc habebam in tam rebelli morbo, eaque ſubjiciebam acri judicio Doctiſſimorum Virorum. Faxit Deus, &c.

CON-

CONSILIUM L.

Contumax alvi fluxus cum febre, & renum dolore.

Contumax alvi fluxus, quo VII. abhinc menſibus Illuſtriſſimus, & Nobiliſſimus Patiens torquetur, ortum trahit a vitiatis imi ventris glandulis, inter quas hepar, pancreas, & conglomeratæ tenuium inteſtinorum glandulæ primum obtinent locum. Probabile namque eſt, ipſarum fermenta corrupta affluentem materiam a toto inquinare, & continentes loculos, & vaſa exulcerare, unde copioſa per inteſtina effluat materia ſanioſa, & Sanguinea. Glandularum autem labes exoritur a luxuriante copia particularum, & ichorum, qui vitriolatam, & arſenicalem ſapiunt naturam. Ab his itaque prima coctio vitiatur, & chylus non abunde dulcificatur, nec recrementa præcipitantur ſtato tempore; ſed corrupta non pauca alimenti materia citius, & frequentius ejicitur leceſſita inteſtinorum nervea ſubſtantia; hic mirum non eſt, ſi ultra exarata ſymptomata febris ſuboriatur. Hæc enim non ſolum ab irritatione ab excitato vulnere emanat; verum etiam ab ichoribus, & acribus inquinamentis cum chylo Sanguini affuſis, & improportionatam fermentationem excitantibus ſuboritur. Nutritio quoque totius corporis depravata ab eodem derivat fonte; plurimum enim humoris ab ambitu corporis refluit in inteſtinorum glandulas, & appulſus Sanguis pro nutritione, cum debita non gaudeat volatilizatione, & dulcedine, potius ab ipſis partibus aliquid abradit, quam deponat, & agglutinet, unde nil mirum, ſi ablata debita tenſione partium vires corporis langueſcant, præcipue flante auſtro, quo tempore, impedita tranſpiratione, ſanguinis recrementa intus coercentur, & eroſivæ particulæ ab aere participatæ Sanguinem ulterius inficiunt, quæ renum etiam ſtructuram pervadendo non levem irritationem, & ſenſum in tenella eorundem ſtructura excitant. Hanc morboſam affectionem induxere liberum vitæ genus, & vehemens localis motus, & equitatio circa autumnum, quo tempore volatilium particularum copia depauperato corpore, ac ulteriori

riori ex motū ſubſequēnte jactura , acida , & acria facta ſunt ita corporis fluida , ut addita inſuper violenta illa concuſſione , qua neceſſaria viſceribus pro fermentorum collectione quies turbata eſt , colliquati humores ad infimas præcipue partes inordinato motu protruſi fuere.

Manifeſtæ ex his igitur eliciuntur indicationes , purificandi ſcilicet viſcerum fermenta , depurandi Sanguinis maſſam, & exulceratas partes conſolidandi . In quibus exequendis doctiſſimam indicatam video curationem ; & ſuppoſita ſuccor. herbar. opportuna adminiſtratione , antequam calor aeris magis urgeat , cogitandum erit de Aſinini lactis uſu ; hujus enim benignitate tandem acres, & mordaces miteſcent humores , & exulceratæ partes detergentur , ac conſolidabuntur. Aſſumat igitur cum pauco ſaccharo candi. vel roſ. ſaltem per menſem lac Aſininum, deinde ex præſcripto Hipp. potet lac vaccinum, quod cum modica aqu. plantag. coqui poterit, hocque per XX. dies utatur . Ante lactis aſſumptionem per IV. dies uſurpet , lenientis loco , libram Seri Vaccini depurati, quod & ſeptimo quoque die , lactis tempore , exequatur . Interim Gelati. C. C. in menſa utatur , vel ejus loco mixtura ex terra Sigillata , ocul. Cancro. , & C. C. uſto . Clyſteres pariter conveniunt parati ex lacte vaccino chalyb. , aut aqu. Villenſi , vel ſaltem jure , in quo decocta ſint inteſtina boum . Auguſti menſe ſi morbus adhuc ſæviat , nec febris urgeat, aquæ Thermales propoſitæ opportunæ erunt, Villenſis ſcilicet, quæ calida potetur, & vehiculum ſit placidum, ſaccharum ſcilicet candidum pulverizatum , vel Syrup. de althea vel de liquiritia , & ſimilia . Si ulterioribus interea opus ſit medicis auxiliis, indicatum Serum Capril. depur. conveniet , cui tractu temporis guttæ aliquot tinct. chalyb. addi poterunt, vel Crocus ipſe martis adſtringens . Interea juſcula , & potulenta auri igniti repetita extinctione alterentur. Circa dietandi rationem nihil addam , cum appoſite omnia exponantur . Hoc unum tantum innuam , lactis tempore fere abſtinendum eſſe ab uſu vini . Caveat pariter ab acidis , & acribus , & frequenti ſolventium uſu . Pauca hæc in confirmationem &c. Faxit Deus.

CONSILIUM LI.

Affectus Hypochondriacus cum flatibus, ventriculi ſubverſione, Podagra, dolore Capitis, & tinnitu aurium, &c.

MUltiplices morborum affectiones, quæ in Nob. P. obſervantur, ita varias corporis partes ex materiæ metaſtaſi tentarunt, ut totum fere corpus laborare videatur. Præcipua ergo ſymptomata, quibus nunc torquetur, ſunt flatus cum ventriculi ſubverſione, podagra, dolor Capitis, & interdum lumborum. Docebat Hippo. *De affectionibus*, *quod quæcumque* (loquitur de alimentis) *quidem ventriculus ſuperat, & corpus ipſa ſuſcepit, ea neque flatum exhibent, neque tormina; ſi vero venter ſuperatur ab his, & flatus, & tormina, & alia hujuſmodi fiunt*. Ex quibus docemur, vitiata prima coctione, & chyli diſtributione, flatus, & ventris tormina ſubſequi. Probabile namque eſt, labefactatis ventriculi, & inteſtinorum fermentis, enervatoque tono, & tenſione fibrarum eorundem viſcerum, cibaria diuturniorem moram in primis viis trahere, & quaſi aceſcere, hinc & tumultuario illo motu nitroſæ quædam exaltantur particulæ, quæ diſtenſione facta ventriculi membranas dilacerant, & ejuſdem motum ad ſuperiora excitant, ſuſcitata quaſi convulſione. Hinc impuriore reddito chylo ſanguis acidior gignitur, a quo inter circulandum capitis membranæ, & aurium præcipue tunicæ vellicantur, unde dolor, & tinnitus, & poſtremo ex anguſtia meatuum in articulis figuntur hujuſmodi acida recrementa, a quibus podagra ortum habet. Manifeſtatur hæc affectio vigente præcipue externo aeris frigore, a quo ſylveſtres Sales reſpiratione media communicantur, & tranſpiratio cohibetur: quare reflui hujuſmodi acidi Sales ceſſante podagra ope glandularum, in ventriculum, & inteſtina irruunt, a quibus coctio vitiatur, & flatus, reliquaque ſymptomata producuntur. Indicationes itaque manifeſtæ occurrunt juvandi primam coctionem, firmandi viſcera, & depurandi Sanguinem, ne fixationes fiant, & irritationes. Pro quibus aſſequendis opportuno tempore curatio inſtituenda erit, apparente ſcilicet vere. Pro nunc autem laudarem uſum

ſum Salis abſynthii, & centi. minor. cum juſculo alterato fol., & radic. cichor., & borag. quod chalybeari poterit. Ante cibum utatur raſura eboris, & oculis cancro., & interdiu ex uſu ſint tabellæ ex raſur. ebor., Matriperlar. cum ſacchar., additis gutt. aliquot ſpirit. ſalis armon., vel olei aniſor. Vere autem, facta levi corporis expiatione, conſulerem uſum ſuccorum depuratorum acetoſ., borag., cichorei, Meliſ., plantag., & abſynth. pontici, quibus tractu temporis addi poſſet, pro abſumendis acidis, & firmandis ventriculi fibris, bolus paratus ex cro. martis adſtring., vel ſal. tem Chalyb. tinctura. Si expoſiti ſucci non arriderent, laudarem eorum loco Serum Caprile colatum, in quo a bſynthii coma infundatur per noctem, quo longo tempore uterer; & tandem urgente aeris calore conveniret potus aquæ Thermal. habentis mixturam Sulphur. nitri, & non nihil vitrioli. Circa victus rationem a cibo quiete utatur, ut facilius coctio peragatur. An vinum conveniat, quæritur. Hippo. *de affectio.* habet, *quod quæcumque aut flatum, aut æſtum, aut morſum, aut repletionem, aut tormina faciunt, a talibus liberat vinum myrrha inſuper potatum: corpus enim a vino calefactum per calorem amovet ea, quæ inſunt a cibis, a potibus, & ſimilibus.* Quoniam aut in exarata affectione hypocondria æſtuant, ac vinum ſecum rapit, & in inteſtina deducit inquinamenta, & crudas particulas, ideo caute ipſo utatur, & temperari poterit calybeata aqua. Caveat interea a remediis impenſe calidis, quæ pro diſſipandis flatibus paſſim adminiſtrari ſolent. Victu mediocri utatur, vitetque ciborum varietatem. Pauca hæc curſim habui pro ſalute Nob. Viri. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM LII.

Affectio hypochondriaca.

Affectionem hypochondriacam abunde indicant vomitus phlegmatis acidi, flatus, tenſiones hepatis, & lienis, reliquaque ſymptomata, quibus torquetur Eminentiſſimus Princeps. Enervato enim fibrarum ventriculi tono, mutatiſque fermentis a glandulis oris, ventriculi, & inteſtinorum eructatis, prima coctio vitiatur: nam loco ſucci ſalſi, &

ſubdulcis, quo cibaria in naturali ſtatu ſolvuntur, & ſenſim dulcorantur, acidum menſtruum recolligitur a toto refluens; vel ſaltem ibidem ob volatilium particularum inopiam ſtagnando tale redditur, quo mediante tumultuaria ciborum attritio ſuccedit, & ita halituoſæ particulæ liberantur, quæ elaſtico pollentes motu pyrii inſtar pulveris turgendo, & vellicando flatum excitant. Vomitus quoque acidæ materiæ ſuccedit ex reliquiis non ſolum alimenti, verum etiam ex materia a toto confluente, quæ efflato fibrarum ventriculi motu diutius ibidem ſtagnat. Huic aſſociatur bilis portio, quæ ex gracilium inteſtinorum levi convulſione ex cholidaco ſurſum exprimitur. Dolor pariter Capitis ſuccedit per intervalla, laceſſitis extremitatibus nervorum ad Ventriculum propagatis; unde accedente ciborum benignitate tollitur irritatio. Ex concepta itaque in Chylo labe, cum non ſufficienter ab enervata bile excrementa præcipitentur, acidus redditur ſanguis: unde tarda ſuccedit fermentatio, & conſequenter parcior celebratur tranſpiratio, & ita inquinamenta quædam inter circulandum in hepate, & liene intercepta figuntur, ex quibus tenſio viſcerum. Bilis quoque, & lienaris ſucci ſeparatio minuitur, & reliquum Sanguinis aliqualiter colliquatur, & ita a renibus copioſa excipitur urina, quæ ex lixivialium Salium paucitate decolor, & tenuis frequenter redditur. Fovent hanc affectionem nativa temperies, & externi habitus fermenta a glandulis eructata, quæ aliqualem fortita aciditatem eam Mediis lymphaticis Sanguineæ maſſæ communicant; alias enim moleſtiſſimam Scabiem paſſus eſt. His addantur graviores curæ, quæ motum fluidorum poſtremo retardant, & inteſtinam fermentationem non parum læſactant.

Ex his igitur manifeſtæ elici poſſunt indicationes, tollendi ſcilicet inquinamenta acida, juvandi coctionem, & auferendi viſcerum impedimenta, ut firmatis ſingulis coctiones felicius ſuccedant. Quibus ut ſatisfiat, propoſitam curationem blandis inſtitutam medicamentis laudamus. Et primo Lenientis loco uſurpari poterunt flores Caſſiæ noviter extractæ cum pulpa tamarind., vel conſerva Viola. Ut autem ſenſim imi ventris inquinamenta eluantur, & detergantur, ſolidæque partes firmentur, ex uſu ſit ſerum Caprile depuratum ad ℥ vii. ſingulo mane aſſumptum, cui addi poterit bolus ex pulvere oculorum Cancro.; & raſuræ eboris; hocque remedii genere per XV. ſaltem dies utatur. Quibus completis indicatam ſuperius Caſſiam iterum uſurpet. Ad tollenda vero viſcerum impedimenta, & ad fluidorum refermen-

mentationem propoſita martis tinctura opportuna erit, quæ cum jure alterato ex radicibus graminis potetur. Ab his enim tinctura extrahitur, qua fixati Sales ſolvi poſſunt. Diuturnum interea hujus remedii uſum neceſſarium cenſemus, ut, aſſumptis acidis, humores miteſcant, fermenta vigeant, & tandem reſtituto ſolidis partibus tonico motu digeſtiones felicius, & citius celebrentur. In hunc quoque finem chalybis infuſione alteretur vinum in menſa aſſumendum, etiam poſt uſum tincturæ; cui tractu temporis addi poſſunt folia quædam abſynthii, & ſimilium. Sale pariter abſynthii juſcula, & carnes condiantur, & liquida quæque chalybis extinctione præparentur. Cæterum rationem victus non indicamus, cum a Præclariſſimo Viro præſcriptam audiamus; hoc unum monentes, ciborum varietatem, & condituram vitandam eſſe. Laudamus localem motum ad excitandam tranſpirationem, & digeſtionem ſumme neceſſariam in hujuſmodi affectione. Pauca hæc in confirmationem propoſitorum a præclariſſimo viro habuimus pro Salute Eminentiſſimi Principis, cujus incolumitatem plenis votis exoptamus. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM LIII.

Hypochondriaca Affectio.

Laborat Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Senator affectione hypochondriaca, cui adduntur, tempore digeſtionis, moleſtus ſenſus in hypochondrio ſiniſtro, veluti ardentis flammæ, virium imbecillitas, & quaſi animi defectus, diarrhæa materiæ bilioſæ, cruentæ, & viridis, oris amaritudo, & interdum ſumma aciditas cum totius corporis macie. Alias pluries recruduit hic morbus, & ſemel ſævus tumor in genitalibus, & adjacentibus partibus manifeſtatus eſt, ex quo translata materia in caput, & faciem, ſubortum eſt eryſipelas, & febris. Ut autem horum ſymptomatum generationem attingamus, neceſſe eſt, ut cum Doctiſſimis Viris modum primæ coctionis exponamus. Vigente igitur natura cibaria in ventriculo mixta ſalivæ, & ſucco extillanti a fiſtulis, quibus integratur ventriculi moles, ſenſim attenuantur, & ſolvuntur, levique, & blanda fermentatione exagitantur, unde compreſſo eodem ventriculo ab exteriore am-

ambiente muſculo pedetentim in duodenum exprimuntur, ubi affuſa bile, ſucco pancreatico, & humore a reliquis inteſtinorum glandulis eructato, non ſolum ulteriorem acquirunt ſolutionem, & fluiditatem, verum mutata particularum figura, & compage novam fere inducunt naturam, quapropter obliterato acido ſapore dulcedo, vel ſaltem . . . . ſubſequitur, & tandem præcipitatio excrementorum, ope præcipue bilis, quæ veluti ſapo alchalicis ſalibus turget, & ita ſua activitate coctionem primam perficit. Hæc autem omnia non adamuſſim in Nobiliſſimo, & Ampliſſimo Senatore explentur. Etenim probabile eſt, ventriculi ſuccum propria labe, vel vitio refluentium a toto particularum acidum eſſe, cum alias ſubſalſus & ſubdulcis ex naturæ legibus ſit; unde hora digeſtionis ulteriore fermentatione ſuborta, turgentiam in ventriculo excitat, & labefactato tonico fibrarum ventriculi motu gravitatem inducit, ſuiſque aculeis nervos, & membranas feriendo ardoris ſenſum promovet. Compreſſis pariter, & convulſis nervorum finibus nervei ſucci propagatio turbatur, & fortaſſe etiam ex nervorum inoſculatione anguſtata venæ cavæ extremitate liber felixque Sanguinis in cor ingreſſus impeditur, unde totius corporis languor. Expreſſus itaque, & detruſus acidior cibus in inteſtina non ita facile a bilis ſalibus enervatis, & languidis, nec volatili ſatis natura pollentibus evincitur, & dulcoratur, unde licet ſuccedat præcipitatio, adhuc tamen acidam ſervans naturam eandem labem fæcibus communicat; hinc nil mirum, ſi in tranſitu per ſubſequentia inteſtina, laceratis minimis vaſorum radicibus, ſanguineum ichorem ſecum rapiat, & excrementa ultra bilem virorem ſapiant, dominantibus ſcilicet vitriolatis particulis. Et quoniam ex irritatione inteſtinum duodenum torquetur, ideo non raro bilis motus invertitur, & ſurſum in ventriculum exprimitur, oriſque amaritiem producit: alias autem ſuccus ventriculi in eodem recollectus, ſuam aciditatem ori communicat. Succedit autem totius corporis macies, quoniam materia nutritionis, chylus ſcilicet, non in debita quantitate lactea ſubintrat vaſa, vitiata minima ſtructura ex inteſtinorum convulſione, ſed in inteſtinis ſubſiſtendo acquiſita natura excrementi diarrhæa per alvum extruditur, & portio chyli ſanguini affuſa cum acore polleat, & acredine, a partibus potius detrahit, quam iiſdem communicet. An morboſa hæc affectio ſolo ventriculi vitio ſuccedat, an potius a toto acidi ſucci refluant in ventriculum, & hypocondria, quibus fermenta Glandularum inficientur, non incongrue dubitari poteſt, cum eryſipelas in facie, & tumor in ge-
ni-

nitalibus apparuerint. His accedat, in Ampliſſimo viro gravibus curis detento, coctiones probabiliter labefactatas fuiſſe, vel ſaltem ita turbatas, ut exinde Sanguinis maſſa acorem concipere potuerit, undique ſtato tempore viſcerum fermentis acida inquinamenta ſubminiſtrantibus. Quapropter veriſimiliter conjectare licet, ægrotare cum toto ventriculum vitiato proprio ſucco; proximas glandulas quoque cum ſuis fermentis, & præcipue bilem debita non gaudere energia, & tandem inteſtina ſecundum propriam compagem coaſtici.

Ex his igitur patent indicationes, depurandi ſcilicet fluida, abſumendo particulas acidas, & acres, corrigendi fermentum ventriculi, juvandi ejus coctionem, reſtituendo propriam energiam bili, tollendi ſolutionem vaſorum ſanguineorum, & tandem irritationes, renutriendo etiam univerſum Corpus. Pro quibus explendis curatio inſtitui poterit. Pro lenienda, ſi opus ſit, alvo propoſita Caſſia cum pulpa Tamarind., vel Oleum amygd. dulc. s. ig. extrac. ſufficient, cum reliqua ſuſpecta ſint. Clyſteres jure inteſtinor., & extremitatum animalium aut ſucco hordei, vel lacte vaccino Chalyb. parati convenient. Pro depurandis autem hypochondriis, & firmando ventriculo laudo ſerum caprile colatum, in quo per noctem maceretur coma abſynthii Romani, eoque utatur, donec ſucci herbar. occurrant. Ex his autem eligi poſſunt depurati ex tarax., borag., fumar., abſynth., & ſimil., quibus addatur aliquod Chalyb., & præcipue crocum Martis. Ex uſu ſint per menſem: deinde lac aſininum potetur; cui addat antimon. diaphor., vel gutt. aliquot ſp. ſalis, aut ſaltem ſuccum taraxaci. Poſt longum hujus uſum lac Vaccinum coctum cum quarta parte aquæ plantag. uſurpari poterit pro conſolidandis inteſtinis, & renutriendo univerſo corpore, & tandem opportuna vigente aeris temperie acidulæ aquæ, & balnea etiam adminiſtrari poterunt. Interim vinum alteretur infuſ. abſynth., & Chalyb., hoc enim ſolo diu uſurpato plures ſanatos vidi. Interdiu aſſumat tabellas paratas C. C. uſto, raſ. ebor., ocul. cancro., antimo. diaphor., & ſimilibus, quæ irrorentur ſp. ſal. armo., aut ſpir. ſal. Decoctum Caphè, vel herbæ Thè a cibo juvabit. Maſticet interdum corticem aurantiorum. Juſcula condiantur ſale abſynth.. Vitet ciborum varietatem, acida, & acria. Vacet a curis. Pauca hæc habebam pro confirmatione eorum, quæ proponuntur a Doctiſſimis Viris, quorum acri judicio libens hæc ſubjicio. Faxit Deus, &c.

CON-

CONSILIUM LIV.

Affectio Hypochondriaca Scorbutica.

TOrquetur Nobiliſſimus P. affectione hypochondriaca Scorbutica cum flatibus, rugitibus, ardore ſub fundo ventriculi, & dolore pulſum æmulante, quibus additur aurium tinnitus perpetuus. Succedit hic morbus vitiatis ſuccis, ſeu fermentis glandularum imi ventris, quibus prima coctio peragitur; hæc enim contracto acore, & verſa in naturam acidam, acrem, & analogam vitriolo digeſtionem vitiant, & aculeatis ſalibus membranas, & nervorum fines, quibus Ventriculus, & tenuia inteſtina compaginantur, vellicando, exarata ſymptomata excitant. Cibaria namque ita diſſolvunt, ut copioſus factitius aer extrahatur, a quo flatus excitantur. Labefactato quoque periſtaltico fibrarum carnearum Ventriculi motu ex imbibitione acidi ichoris eadem plus juſto detinentur, unde majorem contrahunt aciditatem. Detruſa tandem in continuata inteſtina, bilique, & reliquis ſalibus occurrentia fervorem ſuſcitant, hinc membranæ quaſi aqua forti laceſſitæ ardoris ſenſum patiuntur, inductaque quaſi convulſione, & anguſtatis venarum finibus, circulationis ſanguinis felicitas turbatur, unde dolorifica pulſatio ſubſequitur, manifeſtatis interdum in exaratis vaſis varicibus, & quaſi aneuriſmate. Tranſductus tandem cibus ſub ſpecie chyli in lactea vaſa, & pulmonibus ſanguini immixtus, cum dictis ſalibus ſaturetur, eidem calcanthi naturam, & labem communicat, hinc volatilizatio impeditur, & ſucceſſive tranſpiratio vitiatur. Secundarii quoque humores inficiuntur, & ex circulationis vi inquinamenta quædam intercipiuntur, quibus Scorbutica affectio deſignatur. In capite præcipue oppilatis arteriarum extremitatibus, vel ſaltem non debite reſorbentibus venis, palpitatio, & tinnitus ſuccedit, in auribus præſertim, in quibus undulationes, & tremores externi multiplicantur & ſenſiles fiunt; vel ſaltem dubitari poteſt, an ab extremis arteriolis ad interiorem aurem deductis acidus ichor eructetur, a quo extremitas auditorii nervi vellicetur. In conſimilibus morboſis conſtitutionibus ul-

tra

tra vitium in ſucco ; qui perpetuo a glanduloſa ventriculi ſubſtantia extillat , ſolent peccare reliqua fermenta glandularum , quæ inteſtinis adjacent , & præcipue bilis ; hæc enim ſuis ſalibus enervatis non complet dulcificationem chyli , & ſucceſſive excrementorum præcipitationem ; quare fiunt improportionatæ fermentationes , & conſimilia accidentia. Medicæ igitur indicationes ſunt abſumendi acidos , & Sylveſtres ſales in hypocondriis luxuriantes , tollendi irritamenta , & firmandi primam coctionem . Pro his explendis audio plura fuiſſe adminiſtrata, & cum contumaciſſimus ſit morbus , quędam pro ſymptomatum ſaltem mitigatione proponam . Pro lenienda alvo , ſi opus erit , ſufficiet Serum Vaccinum cum tartaro , vel Caſſia cum tamarindis , vel paſſulatum Timei parat. fol. ſenę , & modico cinnamomi . Uſus Clyſterum ſit frequens , & parari poterunt aqua hordei , vel Lac. Vacc. Chalyb. , vel Ol. amygd. dulc. , & Viol. Pro alterante opportuni erunt ſucci depur. borag. , fumar. acetoſ. , & cochle. quibus poſt X. dies addat tincturam Chalyb. pp. ſucco pom. dulc. , vel horum loco potet ſer. Capril. cola. tantum , cum quo aſſumat gr. viii. chalyb. ſubtil. lævigati mixta cum ſucco concreto cichor. Poſt exaratos ſuccos potet per II. menſes Lac aſin. , in quo bullie. pulpa. tamarind. Interdiu aſſumat tabellas paratas ocul. cancro. , raſur. ebor. , & matris perla. , nitro purifica. & carabe alb. , & irrorentur ol. aniſor. Balneum , vel ſaltem ſemicupium aquæ dulcis conveniet , & ſuo tempore aquæ thermales acidulæ , præcipue ad eluendam acidorum copiam. In vinum infundatur Chalybs per aliquot horas. A dulcibus , & ſaccharatis abſtineat , ſicut & ab acidis , & acribus. Potus Caphè a cibo juvabit . Motus localis etiam equitando juvabit . Circa localia ſuffitus aure excipiatur ex abſynth. & ſuccino . Goſſipium apponatur madefactum aqua deſtillata ex putamine nucum externo . Juvabit quoque ſal , & Milium calefacta . Pauca hæc indicabam , &c. Faxit Deus.

O CON-

CONSILIUM
L V.

Melancholia hypochondriaca.

NOtus eſt morbus, quo NobiliſſimusP. torquetur, Melancholia ſcilicet hypochondriaca cum ventriculi ardore, & aciditate, vomitibus heterogeneæ materiæ, varii coloris, & interdum nigricantis, flatibus, & borborygmis in univerſo abdomine manifeſtatis, hypochondriorum æſtu, & ſuffocationes, ſiti, anorexia, timore, atque mœrore, aliiſque ſymptomatibus in doctiſſima Scheda expoſitis. Gignitur autem hæc morboſa affectio labefactata prima coctione vitio fermentorum, quibus celebratur; hæc enim, cum acida ſint, & multo ſaturata vitriolo, tardam reddunt coctionem, chyli attenuationem, & dulcorationem impediunt, & ſucceſſive excrementorum præcipitationem vitiant. Enervato igitur fibrarum ventriculi tono, cibus in eodem diutius contentus, nec ſtato tempore expreſſus majorem contrahit aciditatem; in inteſtinis autem ex ulteriore attritione facilius aer ſeparatur, unde rugitus, & borgorygmi; laceſſitis namque membranis, & nervorum finibus ab aculeatis ſalibus, periſtalticus motus turbatur, & convulſiones fiunt: Bilis quoque, & pancreaticus ſuccus inquinatus recenſita vitia non corrigunt, ſed Chylus cum mixtura exaratorum ſalium ſanguini poſtremo affunditur: unde ſanguis in cerebrum delatus ejuſdem membranas, & fibras vellicat, & nerveum ſuccum inficit, a quo irritationes, ex quibus timor, mœror, & anxietas. Iiſdem etiam ex cauſis ventriculi dolor, ſitis, & vomitus ſuccedunt: inverſo etenim tenuium inteſtinorum motu, bilis aliique humores a glandulis inteſtinorum eructati in ventriculum exprimuntur: unde ex vellicatione dolor, ſitis, & ſollicitatis inferioris oris ventriculi fibris, vomitus excitatur. Poſtremo febris gignitur ex ſubingreſſis ſylveſtribus ſalibus: nam inteſtinus ſanguinis motus turbatur, & ſuſcitata interdum improportionata fermentatione febris manifeſtatur. Acidarum particularum copiam in fluidis abunde indicant prægreſſa olim ſymptomata, dolor ſcilicet capitis crebro recurrens, & ſubſequens larga hæmorrhagia;

con-

congeſta etenim acida, & vitriolata inquinamenta circa cerebri membranas dolorem excitabant, & tandem reflua per venas narium viam ſibi faciebant una cum erumpente ſanguine. Hanc morboſam diatheſim juvat fortaſſe tranſpiratio impedita, & alia externa; nam ſalia ultima coctione non attrita, nec victa, nec per cutim diſſipata ab ambitu corporis iterum ad viſcera deducta ſanguinem, & fermenta viſcerum inquinant, & ſucceſſive coctiones.

Quapropter indicationes Medicæ ſunt juvandi primam coctionem, abſumendi acida, dulcorandi univerſam fluidorum maſſam, & firmandi viſcerum compagem, & eorum fermenta. Pro his itaque aſſequendis varia proponuntur præſidia, & primo Lenientia alvum, inter quæ magis arridet Caſſia cum pulpa Tamarind. Uſus quoque Cremoris Tartari juvabit. Utiles pariter erunt clyſter. ex oleo amygd. dul. s. ig. extr. frequenter injecti. Pro alteratione laudo propoſitum Serum Capril. cola. tantum, cui poſt X. dies miſcebit tincturam Chalybis paratam ſucco pomorum, hæcque ex uſu ſint XXXX. diebus. His peractis uſurpabit per menſem ſuccos depurat. cicorei, borag. Meliſ., fumar., & acetoſæ. Tandem permittente calida aeris temperie, balnea aquæ dulcis adminiſtrentur. Interdiu aſſumat tabellas paratas oculis cancror., raſura eboris matriſperla:, Sale abſynthii, & coral. rubr. pulver. cum Sacchar. candit., & aqua meliſſæ. Vinum alterari poterit infuſione fol. abſynt. Roma. & Chalybis. A prandio potet Caphè cum pauco Saccharo. Utilis erit quoque conſerva de Toto Citro, ſicut & eſus corticum pomorum aurantiorum. Sale abſynth. ſaliat juſcula. Cæterum ſimplici victu utatur, ciborum varietatem vitet, & ab acidis, acribus, & piperatis abſtineat, parceque cænet. Motus localis, & hilaritas animi procuretur. Cæterum caveat ab impenſe ſolventibus, & purgantibus, ab aquis thermalibus exſiccantibus, a ſpiritibus, aliiſque immodicum motum, & nervorum irritationem inducentibus: & depuratis hypochondriis, abſumptiſque acidis ſalibus, poſtremo tentari poterit uſus lactis aſinini. Pauca hæc in confirmationem propoſitorum curſim habebam, eaque ſubjiciebam judicio Doctiſſimi Viri. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM LVI.

Melancholia Hipochondriaca cum Vertigine & Convulſione.

LAborat Illuſtriſſimus, & Nobiliſſimus Patiens Melancholia Hypochondriaca. Hæc excitatur vitiata prima coctione ciborum e corruptis imi ventris glandularum fermentis. Chylus enim debitam præcipitationem, & dulcorationem non ſortitur, ſed inquinamentis acidis turgidus ſanguineæ maſſæ affunditur: hinc media regio, caput, & totus fere corporis habitus coafficiuntur. Acidæ enim, & acres particulæ cum Sanguine confuſæ inter circulandum cor, & pulmones irritant, delatæ quoque in cerebri glandulas ſpiritus animales, nerveumque ſuccum inquinant, nec non cerebri fibras, & appenſos pariter nervos ſtato tempore vellicant: unde vertigines, & convulſiones, quæ in Epilepſiam poſtremo non raro deſinere ſolent, & nonnunquam in funeſtiorem morbum. Diuturnitate namque temporis cerebri ſtructura, & temperies vitiatur, facta, paulatim hujuſmodi particularum morboſarum congeſtione: quapropter morbus ex morbo gignitur. Collaborat autem univerſus corporis habitus: nam exarata inquinamenta debitam partium reparationem impediunt; & cum ex naturæ legibus per excretoria cutis vaſcula non eliminentur, intercepta moleſtum gignunt ſenſum. Labes hæc a ſemine fortaſſe ortum traxit, & ſtato tempore manifeſtata morbos ſucceſſive produxit. Variolarum namque eruptio non ſatis ſanguinem repurgavit, & ejuſdem acrem, & eroſivam naturam indicavit relictis productis in oculo. Hæc ſenſim mutatione ætatis vegetior reddita fermenta glandularum viſcerum inquinavit, unde Melancholia hypochondriaca, & exinde alia.

Indicationes igitur Medicæ occurrunt depurandi primam regionem ab exaratis inquinamentis, juvandi coctionem, & dulcificandi univerſam humorum maſſam, ne vitiatis ſpiritibus, & fluidis irritationes, & eroſiones fiant. Pro quibus aſſequendis curatio inſtitui debet, leniendo alvum floribus caſſiæ ad ℥vi., additis ℥ii. tartari: quo facto jus pullæ chalybea-

beatum, & alteratum foliis boraginis, Lup. Cicho. Abſyn-th. Pont., & radice gram. aſſumatur cum bolo ex ocul. Can-cror. & raſur. matriſperl. per XII. dies. Deinde ex uſu ſit ſerum Caprile depuratum ad ℥ viii. cui poſt octo dies addan-tur guttæ octo tincturæ chalyb. hocque remedii genere uta-tur per XXX. dies. Interim vena brachii ſiniſtri aperiatur deductis ℥ vii. ſanguinis: & quoniam non parum urget ir-ritatio, quæ in cerebro ex genere nervoſo obſervatur, ideo abſumptis acidis, & deterſis inquinamentis imi Ventris, fir-matiſque viſceribus, præmiſſa Chalyb. aſſumptione cogitan-dum eſſet de uſu lact. Aſinini, quod primis diebus in pau-ca quantitate erit exhibendum obſervatione facta, an ace-ſcat. Verum ſi admittat, continuare poterit, adaucta ſenſim ejus quantitate, quo tempore a vino abſtineat, & aqua Nuce-riana ejus loco utatur. Pro facilitanda pariter tranſpiratio-ne balneum aquæ dulcis conſulimus, quod vigente aeris ca-lore adminiſtrari poterit. Circa victus rationem parce cœnet contentus ſola ptiſana, vel conſimili pulmento. Carnes ſint facilis coctionis, & elixatæ. Juſcula chalybeentur, ſicut & vinum, quod tenue ſit, vel aqua temperetur. Ante cœnam utatur mixtura ex pul. ocul. Cancr., raſ. matriſperl., & Cran. Human. Caveat ab acidis, aromaticis, curis, & in ſolatione. Pauca hæc, &c. Faxit Deus.

CONSILIUM
LVII.

Scorbuticus affectus.

SCorbuto, qui congeries dicitur multorum morborum, cruciatur Illuſtriſſimus Comes. In hac morboſa affe-ctione coctiones vitiantur, & fermenta viſcerum, ſecun-dariique ſucci, & præcipue nerveus ſuccus inficiuntur, un-de tractu temporis tota corporis œconomia turbatur: hinc univerſum Corpus ægrotat. Luxuriantibus igitur in fluido-rum maſſa ſalibus acidis, & ſalſis ex improportionata fer-mentatione febris primo excitata eſt, & inquinato ex eo-rum mixtura nerveo ſucco, & excitatis muſculorum fibris eorundem ſtagnatione in ambitu corporis, per annum in-gens laſſitudo manifeſtata eſt. Tranſductis hujuſmodi mor-boſis.

boſis ſalibus ad glandulas ſalivales, tumor in palato, & ſalſa, acidaque ſubſecuta eſt ſalivatio. Propagata pariter eorundem congeſtione in narium glandulis ozena erupit, & ophthalmia ex eadem labe ſuſcitata eſt. Inducta tandem acredine in expoſita materia, exulcerationes in palato, & gingivis manifeſtatæ ſunt, unde ſputum cruentum corruptum ejectum eſt. At quoniam natura ab incepta ſeparatione morbificæ materiæ per vaſa ſalivalia deſtitit, ideo in vaſis ſtagnans febrem iterum excitavit continuam, & lentam, & conſolidatis ulceribus, intercepta hujuſmodi ſalina materia, ac in viſcerum loculis, & interſtitiis carnium congeſta viſcerum, & pedum tumores produxit. Hæc eadem renalibus glandulis excepta, & urinæ tartaro aſſociata nunc calculos gignit. Poſtremo erodens redditus ſanguis in partes delatus ab iiſdem abradendo maciem inducit; quapropter fluida, & partes ſolidæ vitiata laborant, & periculum eſt, ne verificetur vulgare illud axioma populorum Septemtrionalium, quibus familiaris eſt hujuſmodi morbus, *ubi deſinit ſcorbutus, ibi incipit hydrops*. In fluidorum, ſolidorumque labe, quid ſit agendum, difficillimum eſt judicare; remedia etenim, quæ a ſcorbuto indicantur, febris, & maraſmus non admittit, & ſtructuræ viſcerum, eorumque fermenta ita vitiata ſunt, ut nequeant fluidorum corruptionem corrigere, ſed utraque in necem conſpirent. Cum igitur impoſſibile ſit radicem tollere, quædam tantum pro mitigatione ſymptomatum, & pro cauſarum enervatione proponam. Pro alvi lenitione uſurpari poterit ſyrup. de cichor. cum rhabarba., ol. pariter amygd. dul. extrac. abſque igne, vel ſyrupo de pomis ſena paratus. Pro alteratione uſurpari poterit ſerum Caprile colatum, cum quo aſſumat ſal abſynth. per xv. dies: deinde eidem ſero, loco expoſiti ſalis, addat guttas aliquot ſpiritus ſalis dulcificati, hiſque per menſem utatur. Deinde ex uſu ſit antimon. diaphor. cui ſuperbibat jus parvæ pullæ, in quo cancri fluviales coquantur, cum hord. decort., & becabunga. At ſi ventriculus feret uſum lactis, conveniet lac caprile, in quo coquatur coclearia, vel aliud antiſcorbuticum, vel ſaltem herba thè. Exterius foveatur venter inferior lacte tepido, vel decocto ex malva, violaria, ſambuco, & modico ſalis armoniaci, aut apponatur locale paratum ex radice Ibiſci cocta in lacte, & oleo amygd. dulc. mixta. Cum cibo utatur gelat. C. C., & juſcula fluidaque extinctione chalybis parentur. Hæc exigua in tam contumaci morbo indicabam, &c. Faxit Deus, &c.

CON-

CONSILIUM LVIII.

Scorbutica affectio, cum pulmonum vitio, Lienis tumore, &c.

EX his, quæ abunde a Doctiſſimis Viris exarantur, patet Nobiliſſimi, ac Illuſtriſſimi Equitis ſanguinariam maſſam, reliquaque corporis fluida acidis, & vitriolatis particulis ita turgere; ut varia inde ſuborta ſint morborum genera, communicata etiam ſolidis partibus labe. Probabile etenim eſt, ex labefactatis imi ventris fermentis chyli generationem vitiatam primo fuiſſe; unde non ſuccedente debita excrementorum præcipitatione, & humorum dulcificatione, totus ſanguis inquinatus eſt, a quo media circulatione variæ congeſtiones excitatæ ſunt: unde ſcorbutica affectio, lienis tumor, calculi, & reliqua ſymptomata. Hæ tandem acidæ, & erodentes particulæ exaltatæ in pulmonaribus finibus interceptæ, & fixatæ, tubercula cruda excitarunt, unde impedito blando, & regulari Sanguinis motu, factoque hiatu foras per ſputum erumpunt: unde Sanguinis ſputum; & pulmonum labes. Conſonum igitur rationi eſt, ultra fluidorum vitium ſolidorum quoque, præcipue pulmonum ſubſtantiam nunc laborare, quod gravativus dolor indicat, & cadaverum ſectio demonſtrat. In conſimilibus enim ex fixato Sanguine inæqualia fiunt tubercula in pulmonum veſiculis ſanguinis motum impedientia, & præcipuam, quæ ibidem fit, coctionem ac miſcellam turbantia, unde poſtremo excretionis Sanguinis ſputum, & totius labes ſubſequi ſolent.

Manifeſtæ itaque apparent indicationes depurandi Sanguinis maſſam, & firmandi viſcera, ut reſtituta ſanguini debita temperie, & fluore ejuſdem motus facilius ſuccedat, & congeſtiones tollantur. Pro quibus aſſequendis varia a Doctiſſimis Viris adminiſtrata ſunt, & plura ulterius in hunc finem proponuntur. Circa venæ ſectionem in Br. adminiſtrandam, ſi corpus adhuc floreat, & ſanguinis ſputum copioſum ſit, revulſionis gratia, in pauca tamen quantitate, celebrari poterit: non enim tanti momenti ſunt ea, quæ ab Helmontio, & noviter etiam contra Sanguinis miſſionem

proponuntur , ut hujuſmodi tollant remedium . In reliquis vero convenio cum Doctiſſimis Viris circa lactis ſerum , præcipue Aſinini . Hippoc. in hujuſmodi etiam ſcorbuticis bubulum exhibebat cum aqua , quod noſtro ævo uſurpatum felici cum ſucceſſu videmus; hoc autem , urgente calore aeris , ob aciditatem, quam facile concipit, non tuto exhibetur . In autumno itaque, aut hyeme propinandum erit . Interea laudarem ſuccum depuratum ex ſimplicibus thoracicis , & vulnerariis , ſcilicet ex urtica , viol. cochlear. lapat. farfara & ſimilibus , vel ſaltem deſtillato parato ex cancris fluvialibus, & cochleis , quod aſſumat cum pul. totius cancri calcinati, aut cum ocul. cancr., vel Ə i. antimonii Diaphoretici. Circa propoſitum Chalybis uſum, ſi corpus adhuc non contabeſcat, nec ita infirmi ſint pulmones , convenire poterit levis quædam tinctura, non parata tamen acidis , vel ſaltem Crocus Martis adſtring. , ut acidæ particulæ abſumantur, & debitus tonus partibus reddatur . Juſcula etiam chalybis extinctione parari poterunt . Flores ſulphuris cum Sachar. convenient . Raſura pariter teſtaceorum , & pulvis Corallo. additis granis aliquot opii crudi cum nitro purificato ante cibum opportuna erunt , & interdum in aliquo ſyrup. Magiſtrali, vel conſer. viola., aut flo. Mal. Pauca hæc in confirmatione dictorum a Præclariſſimis Viris curſim exarabam, Faxit Deus, &c.

CONSILIUM LIX.

Itterizia con abborrimento del Cibo.

L'Affetto del nobile Paziente è notiſſimo , e la ſua generazione è tanto bene ſpiegata, che non ha biſogno di nuova ſpoſizione . Abbondando dunque gli acidi nella maſſa del Sangue, ſi turbano le ſeparazioni de' fermenti nelle viſcere, e principalmente del ventre inferiore , e la loro attività reſta ſnervata: onde è pericolo, che con il progreſſo del tempo ſi facciano fiſſazioni , particolarmente nel fegato, e fondendoſi la maſſa del ſangue , ſi cagionino riſtagni nelle carni , e nelle cavità del corpo , producendoſi un nuovo , e contumaciſſimo male . Da queſta radice naſcono gli accidenti , che nella preſente Itterizia s'oſſervano, par-

particolarmente l'abborrimento del cibo, portandoſi in vece del ſugo, che macera, e ſcioglie i cibi, porzione di bile dalle glandole nello ſtomaco, e reſtando la maſſa degli umori ripiena di parti acide, ed eroſive, non ſegue la dovuta riparazione delle parti, ma piuttoſto un' abraſione delle ſteſſe.

Le Indicazioni ſono quelle medeſime, che ſono eſpoſte nella Dottiſſima Relazione, cioè di ripurgare la maſſa del Sangue dalle parti acide, render fluidi gli umori, aprire le vie, e i vaſi eſcretorii, e di corroborare le viſcere coi loro fermenti: Ed a queſto fine la cura fin' ad ora è ſtata indirizzata, e giacchè ſono eſpurgate le prime vie, e rendute molli le ſtrade, ed i meati, crederei, che foſſe bene ſervirſi de' remedii calibeati, per purificare gli umori, e dare forza alle fibre de' vaſi, e delle viſcere: e per tanto ſtimerei, che poteſſe giovare un brodo calibeato alterato con le Foglie di Cicor., d' aſſenzo, di Bugloſ., e di Perforata, colla Rubbia, colla radice di Gramigna, e di Malva, meſcolandovi per alcuni giorni gocc. X. di tintura di Marte, e poi invece di queſta uno Scrupolo di Croco di Marte, e lo praticherei per lungo tempo. Fra tanto cautamente mi ſervirei de' remedii ſolutivi, come anco dell' acqua del Tetuccio, la quale ho per ſoſpetta in queſto caſo, atteſochè aſciuga, e può meſcolare molte parti rodenti col Sangue. Terminato l' uſo del rimedio ſuddetto, paſſerei al Terebinto propoſto. In queſto tempo potrà acciarire il vino, ed infondervi le foglie di Aſſenzo. Prenderà con il Cibo il Corno di Cervo colla Raſura d' Avolio: l' emulſione fatta con i ſemi d' aranci gioverà, e ſi potranno ſalare i brodi con il Sale d' Aſſenzo. Gioverà pure il moto del corpo, per ſentimento d' Ippocrate al 7. delli Epidemii, come anco la quiete dell' animo. Il Vito ſia moderato, e quaſi tenue, guardandoſi dalle coſe acide, e dagli aromati. Queſto è ciò, che per confermazione di quanto prudentemente viene eſpoſto, parmi poter motivare, rimettendomi ſempre al ſano giudizio di chi regola la Cura, &c.

P CON-

CONSILIUM LX.

Icteritia cum hypochondriorum tenſione, hepatis duritie, fluxu Sanguinis ab hæmorrhoidibus, & naribus, &c.

EX his, quæ recenter a Doctiſſimis Viris, & a me obſervata ſunt, patet, in Nob. P. corporis œconomiam labefactatam fuiſſe; hypochondria enim turgent, & in hepate durities, & renixus obſervatur; totius habitus corporis icteritia laborat; pedes tument; hæmorrhoides fluunt, & a naribus profilit ſanguis; febres non raro manifeſtantur; urinæ, alvi excrementa, narium muci nativam non ſervant naturam; caput pariter conſentit enervato motu, & turbata interdum principe facultate. Eſt igitur probabile, congeſtis ſenſim in tota Sanguinis maſſa tartareis, vitriolatiſque partibus obſtructionem factam fuiſſe in porulis, & meatibus glandularum hepatis, quibus ſeparatur bilis: unde hæc ſanguini mixta aliorum viſcerum fermenta, & ſuccos inficit, & cutis anguſtiis intercepta fædum inducit colorem. Ex ejuſdem pariter ſtagnatione, ut eleganter exponitur a Præclariſſimo Viro, mediis lixivialibus ſalibus, improportionata fermentatio excitatur, unde febris. Fluit autem Sanguis ab hæmorrhoidibus, & naribus: nam eroſivis ſalibus ſaturatus viam ſibi facit: Succedit porro læſio in principibus animalis facultatis functionibus, inquinato nerveo ſucco, vel vellicatis cerebri fibris a deducta bile. Quoniam tamen bilis ex natura ſua neceſſaria eſt pro perficienda prima coctione, hinc eſt, ut hac deficiente debita alimenti attritio, chyli dulcificatio, & excrementorum præcipitatio non ſuccedant: unde inquinatus chylus labem Sanguini communicat, & ſucceſſive reliquis fluidis: hinc circularis etiam motus vitiatur, & congeſtiones fiunt præcipue in pedibus, & cruribus, ubi enervato tonico motu fibrarum humores difficilius ſurſum pelluntur.

Indicationes igitur occurrunt tollendi obſtructiones, juvandi bilis motum ad inteſtina, depurandi Sanguinem, & firmandi viſcerum tonum, & fermenta, ne ex toto labefactata corporis œconomia novus, ſævuſque manifeſtetur morbus.

bus. Curatio igitur inſtituatur, & pro Leniente uſurpentur ea remedia placida ex Caſſia, tartar., & ſimilibus, quæ a-lias ex uſu fuere. Clyſteres quoque frequenter injiciantur parati urina terebenthinata, & Sale prunelle; dein potet per X. dies jus pullæ Chalyb., alteratum cichor., rub. tinct., abſynth., centa. majo., & ſimilibus; cui addat guttas aliquot ſpiri. ſalis armoniaci. His peractis ex uſu ſint ſucci depura-ti Cichorei abſynth., marrub., parietariæ, & fragariæ, qui-bus addatur bolus ex Croco Martis aperit.. Uti ſoleo ſub-ſidentia vini diu Chalyb., in qua vis Chalybis, & tartari continetur; hocque utatur XL. diebus, quibus expletis uſur-pet ſp. ſalis coagul. Amynſichit in juſculo alterato radic. gra-min., & fol. fragariæ. Interdiu aſſumat tabellas paratas ſa-le abſynth., card. bened., antimon. diaphor.. C. C. uſto, & oculo. cancro., quæ irrorentur Spir. Salis armoni.. Cum cibo utatur raſura eboris, & cibaria condiantur croco, & juſcula condiantur, ſicut & carnes, ſale abſynthii. In vino infundat Chalybem, & comam abſynth. romani, & urgen-te febre, ſi a vino abſtinere cogatur, potet aquam Chaly-be, vel extinctione lapidum, quibus ignis elicitur alteratam, in qua bullierint fragaria, & liquiritia. Circa localia admi-niſtretur Embroche in hypochondrio præcipue dextero, & primis tribus diebus fiat lacte Vaccino tepido; ſubſequenti-bus autem diebus celebretur aqua Chalybis, vel fabrorum alterata fol. malvæ, pariet., violar., marrubii, abſynth., ver-benæ, urticæ mortuæ, meliloti, fœnugræci, radic. altheæ, graminis, et ſimilium, addito pauco aceto, & ammoniaco; & per menſem adminiſtrari poterit. Poſt Embroche appo-natur locale ex ammoniaco diſſoluto aceto, & mixto cum Oleo de Capparibus, vel ſucco Cicutæ. Circa victus ratio-nem cibaria ſint attenuantia, facilis coctionis, & abſtineat ab auſteris acidis, & a ciborum varietate, motuque locali exerceatur. Pauca hæc habebam pro Salute Nob. P. in con-firmationem propoſitorum a Doctiſſimis Viris. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM
L X I.

Lienis Tumor, calor in toto, pedum tumor, &c.

LAborat Religioſiſſima Monialis tumore Lienis cum tenſione, & gravitate, cui adduntur calor in toto, & præcipue in extremitatibus plus juſto intenſior, pedum ędomatoſus tumor, alvi ſiccitas, reliquaque ſymptomata in dicta ſcheda expoſita. Succedit in liene tumor, quotieſcumque Sanguis ab arteria propulſus in cellulis lienis ſtagnans amiſſa fluiditate, debita felicitate per venam ſplenicam non revehitur, ſed remoratus ſua mole diſtendendo membranoſas cellulas, viſceris molem auget, & continentia involucra tenſa reddit. Stagnat autem Sanguis de facili in liene vitio propriæ naturæ, vel organico; conſtat enim lienem a natura ditatum eſſe carneis fibris, & lacertis, ſicuti in auriculis cordis, collimantibus in eum finem, ut receptus Sanguis in Sinibus a laxiore loco extruſus, & in arctam venam Splenicam expreſſus ſuum iter feliciter progrediatur. Etenim impulſus ab arteria, communicatus Sanguini in lato ſinu recepto, extinguitur: unde neceſſarius eſt novus motus expreſſivus ope fibrarum celebratus, & quaſi cordis additamentum, ut circulatio perpetuetur. Ubi igitur, ut conjectare licet, in caſu noſtro tonicus lacertorum carneorum motus impeditur, deficiente ſucco nerveo, vel propria vitiata ſtructura a copia imbibiti ichoris acidi paralytica redditur pars, & ita ceſſante contractione ſanguis non exprimitur, unde congeſtio, & tumor; Idem accidit immutata Sanguinis natura; deficientibus namque volatilibus particulis, & luxuriantibus acidis ichoribus ex mora partes ſibi intime hærentes fluiditate privantur, & ita in cellulis ſtagnantes cumulatæ tumorem cum renixu manifeſtant. Ex hac igitur morboſa conſtitutione Sanguis, qui a liene in hepar deducitur pro bilis ſeparatione, cum debita ſuarum partium libertate, & volatilizatione non gaudeat, enervatam, mancamque reddit ſeparationem bilis, quapropter in duodeno expetita chyli attenuatio, & dulcificatio non ſuccedunt; unde nil mirum, ſi Sanguis inquinatus, &

cru-

crudus gignatur, cujus particulæ non attritæ in pedibus inter circulandum intercipiuntur, vel ſaltem ſubſident. Manifeſtatur autem calor in extremitatibus præſertim remorata Sanguinis maſſa in earum anguſtiis, cum pari felicitate non abſorbeatur a venis, qua ab arteriis eructatur; hocque ſymptoma familiare eſt hypochondriacis, ſicuti & alvi ſtypticitas quæ fit ex copia acidorum ſalium excretoria vaſa claudentium, quibus reflua a toto humiditas in Sanitate in inteſtinorum cavitatem eructatur, & lubricitas inducitur.

Medicæ igitur Indicationes ſunt tollendi lienis tumorem, volatilizandi Sanguinem, ut feliciore ſuccedente coctione circulatio, & tranſpiratio ſecundum naturæ leges celebrentur, ne ulteriore fluidorum cruditate pravior ſubſequatur morbus. Curatio itaque inſtituatur lenientibus blandis, ut Oleo Amygd. dul. extracto abſ. igne, vel Caſſia, & propoſitæ Gelii pilulæ exhiberi poterunt. Laudo jus columbinum chalybeat., & alteratum abſynth., & radic. grami., & bolum propoſitum ex ſale tamariſci, vel hujus loco miſceat expoſito juſculo gutt. aliquot ſpirit. ſalis armonia., hocque per XII. dies utatur; deinde aſſumat per menſem chalybem, & præ reliquis arridet rubigo ferri cum juſculo alterato radice grami., & tandem antimonium diaphoret. cum Croco martis per longum tempus, &c.

Interea infundat Chalybem, & folia abſynth. in vino, quo in menſa utetur, & cibaria condiat ſale Abſynthii.

Bulliat etiam in juſculis, & pulmentis limat. C. C. Dubius ſum circa propoſitum uſum aquæ Tetutianæ. Inter localia parti adminiſtranda inſtituatur Embroche aqua Chalybeata, vel fabrorum alterata foliis malvæ, parietariæ, marubii, verbenæ, abſynthii, addito pauco ammoniaco, & aceto. Crato commendat atriplicem coctam in aqua pro Cataplaſmate. Cum cibo interdum utatur oculis cancro., & raſura ebor. Pauca hæc habebam pro confirmatione eorum, quæ a Præclariſſimis Viris proponuntur. Faxit Deus, &c.

CON-

CONSILIUM LXII.

Lienis ſcirrhus.

Manifeſta eſt affectio, qua tentatur V. N., tumor ſcilicet lienis inſignis, durus, & indolens. Hujus autem generatio probabiliter ſubſecuta eſt ex remorato, & coagulato in hærentibus cellulis ſanguine ab humore acido. Ex naturæ namque legibus ſanguis per arteriam ſplenicam in amplas lienis cellulas perpetuo eructatur, ibique alterationem, & forte attritionem recipit ab affuſo a propriis glandulis lienari ſucco, ut refluus in jecur, & inde in univerſum corpus, bilis, & reliquorum fermentorum ſeparationem non parum adjuvet. Contingit autem, ut in caſu noſtro, quod labefactato lienis fermento, & ejuſdem tonico motu, interceptis coagulantibus ichoribus a toto refluis, ſenſim Sanguis non eadem felicitate extra propellatur, qua introducitur, unde ſemiconcretus ſtagnat, & diſtendit interſtitia, & ſpatia laxati viſceris; hinc impedita nativa pertranſeuntis Sanguinis attritione, & alteratione totum compatitur corpus. Gignitur probabiliter morboſus ichor, vel in toto, vitio perpetuæ Melancholicæ temperiei, quæ perenni ſtudio, & meditatione juvatur, vel ſaltem defectu primæ coctionis: congeſtis enim mucoſis excrementis, & antecedenter frequenti ventriculi dolore tentato ægro coctiones non rite celebratæ ſunt, quapropter hypochondriorum inquinamenta cum Chylo impuro Sanguini affuſa inter circulandum in liene intercepta ſuas exeruere vires, non manifeſtato in principio morbo.

Pro quo tollendo indicationes eliciuntur manifeſtæ, auferendi ſcil. congeſtionem, & coagulationem jam factam, emolliendo, & attenuando, edulcorandi ſanguinem, & firmandi viſcera. Pro quibus aſſequendis laudamus levem corporis expiationem factam ℥ vi. fl. Caſſiæ, cum ℥ ii. tartari, uſum juris pullæ Chalyb. alterati foliis mal., viol., fumariæ, lapathii, altheæ, & gram. cum Cochlearia, & Syrupo de duabus radicibus, & altheæ, addito ℈ i. ſalis prunelle, hocque utatur per X. dies, quibus tranſactis uſurpentur ſucci depurati cichor., lapat., aceto., abſynth. roma. ad ℥ ii. s. uſque ad ℥ iii.,

℥ iii., quibus poſt XV. dies addatur bolus paratus ex Croco Martis cum modica conſer. abſynthii, vel violarum; & primis diebus aſſumantur gra. XVI., deinde augeatur uſque ad ℈ i., hocque remedii genere utatur ſaltem per menſem. Interea pars affecta foveatur lacte vaccino tepido, & emplaſtro ex radic. alth. reformato cum lacte, & ol. amyd. dul.; Poſtremo permittente aeris temperie, Embroche inſtituatur lacte vaccino tepido per IV. dies, dein decocto ex aqua Chalib., in qua decocta ſint fol. malvæ, viol. pariet., abſynth., roriſmari., meliſſæ, fœnugræci, & ſimil., addito aceto, & ammoniaco. Et quoniam ex Fallopii obſervatione ſalutare eſt, alternatim per intervalla uti emollientibus, ideo interponat Embroches uſum ex lacte, & per Menſem adminiſtretur exaratum remedium. Loco topici remedii conſulimus Cataplaſma ex Cicuta, vel Nicotiana viridi cocta in vino albo, aut harum loco opponatur ammoniacum aceto diſſolutum, & cum Cera reformatum. Vinum alteretur extinctione Chalyb. & tandem infuſione ejuſdem, addita coma abſynth. Cum cibo aſſumat interdum pulverem oculo. cancro., & juſcula Sale abſynth. condiantur. Cibaria ſint facilis coctionis, unde pullorum, columborum, Fædorum, & ſimilium animalium carnes opportunæ erunt. Abſtineat ab acidis, & auſteris. Motu locali plurimum utatur, relicto ſtudio, &c.

CONSILIUM
LXIII.

Hydrops, Corporis Maraſmus, &c.

SYmptomata in eleganti Scheda exarata ſufficienter demonſtrant, in Eminentiſſimo Patiente inſignem particularum vitriolatæ naturæ copiam diu viguiſſe, a quarum exaltatione, & energia, & ex obſeſſis variis partibus diverſa manifeſtata ſunt accidentia. Vitiatis enim olim glandularum imi ventris fermentis, & ad acorem verſis, corruptaque alimenti portione, vomitus nigræ, æruginoſæque materiæ vigente natura ſuccedebat. Podagrici deinde dolores manifeſtabantur ex ſubingreſſis hujuſmodi acidis Salibus, qui Sanguini mixti inter circulandum articulorum anguſtia intercipiebantur. Hinc pariter tractu temporis in Sanguine ſtagnantes, aperta ſibi via, evacuationem per venas ſedis cum naturæ ſublevamine mo-

moliebantur. Facta iterum nova exaltatione, morboſi hujuſmodi ichores congeſti ſunt in laxa gingivarum carne, & circa loculos glandularum, quibus ſeparatur Saliva. Tandem poſt varias vices ſalutis, & læſionis iterum coacervatæ morboſæ particulæ in fluidorum maſſa tumorem in utraque tibia fecere; labefactato namque periſtaltico fibrarum motu, & vitiata humorum natura, cum venæ non eadem felicitate recipiant propulſos ab arteriis humores, neceſſario ſtagnatio ſuccedebat: unde tumor, qui refluentibus partim humoribus, partim per tranſpirationem diſſipatis non parum imminuebatur. Poſtremo tandem poſt tot metaſtaſes ſuppreſſa hæmorrohidali excretione, & evaneſcente tibiarum tumore, exarati ichores erodentes non ſola viſcera, imi præcipue ventris, eorumque fermenta inquinarunt; verum etiam diductis porulis, & hiatibus minimis vaſorum, & impedita, vel ſaltem remorata Sanguinis circulatione extra erupere, & occurrente abdominis concavitate excepti novum morbum, hydropem nempe, manifeſtarunt, in quo morboſa labes fluidis primo communicata, deinde viſceribus, totius corporis œconomiam labefactavit. Quo in caſu verificatur illud, quando ſcilicet utraque viciſſim ad perniciem ſuffragantur, nulla eſt pars noxa carens, quæ vel modicam naturæ opem afferre poſſit. Hinc nil mirum, ſi febris lenta obſervetur cum laſſitudine, oris ſiccitate, gingivarum ſtupore, & partium extenuatione; confuſa namque excrementa acida cum Sanguine, ex occurſu partium Salinarum fermentationem improportionatam excitant, unde febris. Obſtructis pariter oſculis excretoriis glandularum Salivam fundantium, vel ſaltem loco aqueæ humiditatis, erumpentibus ſtypticis Salibus, ſitis, & gingivarum torpor ſuccedunt. Et tandem tota Sanguinis maſſa eroſivis particulis turgida permeando partes, nutrimentum ab ipſis abradit, ſecumque rapit, unde urinæ copia, & corporis Maraſmus. Exaratæ hucuſque morboſæ particulæ a fermentorum viſcerum imi ventris labe ortum trahunt, qua acidorum generatio perennavit. Cauſæ quoque externæ ſuam contulere opem, & præcipue mentis curæ graviores, & meditationes, quibus retractis, & quaſi convulſis nervis vaſorum fines anguſtantur, unde Sanguinis felix circuitus vitiatur, & aciditas in contentis fluoribus inducitur. Frequens quoque acidorum uſus, & conſimilia cauſam auxere.

Ex his igitur manifeſtæ occurrunt indicationes, tollendi nempe copiam hujuſmodi acidorum, eroſivarumque partium, reſtituendi motum tonicum partibus ſolidis, auferendi congeſtiones, & firmandi viſcerum fermenta, quibus ut aliquo-

mo-

modo ſatisfiat, curationem proſequi expedit. Pro abſumendis itaque particulis morboſis laudo propoſitum uſum Chalybis. Quapropter aſſumere poterit ſuccum depuratum, vel concret. plantagin., Cichor., & quercus, cum ℈ i. croci Martis adſtringentis, hocque longo tempore utatur. Et quoniam urinæ copia, licet partium ramenta ſecum rapiat, attamen cacochymiam minuit, ideo manutenenda venit; quare interdiu ex uſu ſit ſpirit. Sal. coagul. Amynſi&. in aliquo Syrupo Magiſtrali. Parari quoque poſſunt tabellæ ſale abſynth., C. C. uſto, & antimonio diaphore., quas quandoque interdiu aſſumat. Extinguantur ſilices, quibus ignis elicitur, in vino, vel ſaltem hoc præparetur infuſione chalyb., & fol. abſynth. Potulenta pariter extinctione Chalybis parentur, & abſynthii ſale juſcula condiantur. Circa alvi lenitionem blande tractandum eſt, ne facta majori colliquatione humorum, & viarum apertura morbus augeatur. Soleo uti hoc blando leniente ♃. Seri Vacci. lib. ii. fol. ſennæ ℥ iv. Gingiberis ℈ i. Sacchar. Candi. ℥ ß. Macerentur, & colentur. Doſis ℥ iv. Interdiu jubeo cochlear aquæ vitæ, in qua infuſa ſit radix ebuli. Chlyſteres frequenter injiciantur parati urina juvenis ſani cum modico terebinthinæ, & Salis prunellæ. Foveatur venter hoc balneo. Urinæ pueri lib. iv. ſal. pru. ℥ iii. Bulli. ad conſumptionem tertiæ partis. Cæterum circa victus rationem Ex Hippo., & Celſo fames, ſitis, labor, aliaque tædia neceſſaria ſunt in hoc morbo. Vitet ſalſa, acria, & acida; parce potet, & aſſis præcipue carnibus utatur.

CONSILIUM LXIV.

Hydrops, & menſtrua purgatio impedita, cum fœdo totius colore.

Antiqua Hippocratis obſervatio eſt, cutim indicare naturam fluidorum corporis. Certum namque eſt, peracta humorum coctione in viſceribus, eorundem ingentem copiam ad cutis vaſa, & ſubjectas glandulas detrudi, ut partim commixti interiora repetant, partim velut pondus inutile eliminentur. Quapropter quotieſcumque non debite

attriti, & volatilizati exiſtunt, meatuum ſpatiis minimis intercepti interdum coercentur, vel ſylveſtribus Salibus ab aere communicatis aſſociati morboſam, & alienam acquirunt naturam, & ſui indicia exhibent, ut in N. P. obſervatum eſt. Deficiente itaque per tranſpirationem evacuatione, & inquinatis reliquis ſuccis in vaſa magna refluis, tota Sanguinis maſſa inficitur, fermenta præcipue glandularum vitiantur, & coctiones non abſolvuntur. Quapropter turgentibus acidis particulis refluis in tota Sanguinis maſſa, neceſſe eſt, ut præter turbatas viſcerum coctiones congeſtiones, & ſtagnationes fiant interius; ſales namque ſylveſtres, acres, & erodentes, cum non intime miſceantur reliquis humoribus colliquationem inducunt; Hinc arteriæ impetu protrudunt humores, qui ſui activitate meatus novos ſibi aperiunt, inde cum non eadem copia, & felicitate ab extremis venis abſorbeantur, ſtagnando turgentiam efficiunt, & tractu temporis, facta ſibi via, cavitates., & ventres inveniunt, novique, & funeſti ſubſequuntur morbi. Quapropter mirum non eſt, ſi menſtrua purgatio impedita ſit; occluſis ſcilicet meatibus, & impedita fermenti uterini activitate. Morboſam hanc affectionem juvat labes relicta in ſemine a Parentibus: nam conſimilis morbus in N. Sorore obſervatus eſt. Mæror quoque, & animi pathemata, quibus turbata blanda Sanguinis circulatione, & nervorum convulſione humores acidiores redduntur, huic occaſionem dedere.

Indicationes ſunt depurandi Sanguinem ab exaratis inquinamentis, reſtituendi eidem debitam Craſim, & mixturam, tollendi congeſtiones, & derivandi ichores ad vias urinæ, vel ad tranſpiratum. Pro his aſſequendis curatio inſtitui debet; & primo circa ſolventia alvum caute incedendum puto, ne major colliquatio ſuccedat, & ex impetu vaſa, & meatus plus juſto aperiantur. Uſurpari tamen poterit ſequens blandum remedium. ♃. Ser. Vaccin. lib. ii., Fol. ſen. ℥ ii., Zingibe. ℈ i., Sacchar. ℥ ſ. Macerentur per noctem, & colentur. Doſis ſit ad ℥ iv., & interdum repetatur. Clyſteres quoque ex Mel. Roſat. & ſimilibus frequenter ex uſu ſint. Alterantium loco laudo jus pullæ junioris chalybeatum, alteratum foliis Plantagin., Chærofolii, cichor. & marrub., cum quo ℈ i. ſalis abſynt. aſſumat per X. Dies, quibus tranſactis, loco ſalis utatur tinctur. Chalyb. per XV. Dies cum dicto juſculo alterato. Poſt horum uſum laudarem remedium Poterii, quod in ſimilibus affectionibus frequenter proficuum expertus ſum; vocabat autem Epaticæ extractum, hocque tranſmitti poterit: proſtat enim apud amicum, &

eo

eo per XXXX. dies utatur . Interea , ſi liberaliter fluent urinæ, nec venter detumeſcet ; exhibendus eſſet ſpirit. Sa- lis cum jure pullæ alterato radic. gram. & fol. primu. veris . Interea etiam Vinum alteretur infuſio. chalyb. , & comæ abſynth. vel ſaltem in ipſo igniti fluminum ſilices pellucidi cryſtalli inſtar, extinguantur . In reliquis vero fluidis , ſi in- terdum aſſumantur, ſal prunel. miſceri poterit. Venter infe- rior foveatur urina pueri , cui addatur ſal prunell. & bulliat parum. Idem quoque præſtabit aqua marina alterata mul- tiplici extinctione chalyb. igniti . Cum cibo aſſumat cruſta- cea, & præcipue oculos cancrorum. Motus localis commen- datur, quo tranſpiratio felicius celebretur , & in hunc fi- nem quoque animi hilaritas curanda erit . Victus ratio fit exacta ; parce potet , & cænet , & abſtineat ab acidis, acri- bus , & aliis . Pauca hæc, &c.

CONSILIUM
LXV.

Aſcites cum pulmonum labe, & tympanitide .

Ex his, quæ in accurata Scheda habentur , patet in N. V. totam fere corporis œconomiam labefactatam eſſe ; manifeſtatis enim diverſis morbis variis tempo- ribus , tandem aſcites ſucceſſit . Probabile namque eſt , ex copia ichorum , & ſalium in ſanguine luxuriantium vi- triolatæ naturæ ſplenis tumorem primo excitatum fuiſſe , fixato ſcilicet ſanguine in lienis cellulis , impeditaque debi- ta fermentatione ſucci , qui ſeparatur in lienaribus glandu- lis , indeque conſecutiva nativa bilis generatione in hepate vitiata. Hinc tractu temporis adaucta humorum tarditate , & copia hujuſmodi particularum facta eſt media ſanguinis circulatione congeſtio , & abſceſſus in pulmonibus ; unde pleuritis , quæ licet ſupporatione , & excretione ſublata fit, permanente tamen vitio in toto tenellæ pulmonum partes a pertranſeuntis Sanguinis activitate laceratæ , & ſolutæ ejuſ- dem ſputum copioſum manifeſtarunt , & tandem colliqua- ta tota ſanguinis maſſa , ſolutaque ejus nativa compage ſa- les fuſi .... inſtar aquæ fortis , apertis novis meatibus , nec per venas reduces in abdominis cavitatem viam ſibi fe-

cerunt, ibique moram trahentes impedito tranſpiratu, & liberatis aeris factitii particulis, aſcitem cum tympanitide produxerunt. Hanc morboſam affectionem fovent vitiata viſcerum fermenta, lienis videlicet, & hepatis: unde ceſſante neceſſaria chyli dulcificatione, & excrementorum præcipitatione, chylus eroſivis ſalibus ſaturatus ſanguini affunditur, nec ejus malitia ex toto evincitur ob remiſſam fermentationem, languidamque tranſpirationem. Aeris quoque conditio multum juvat pro cumulandis in corpore hujuſmodi eroſivis inquinamentis. Indicationes itaque ſunt reſtituendi, prout fieri poteſt, debitam ſanguinis compagem, abſumendi eroſivos ſales, firmandi motum periſtalticum partium, juvandi coctiones, & tollendi congeſtiones; pro quibus aſſequendis difficillimum eſt, cum Areteus hæc habeat: *Oportet Medicum hoc in morbo totum hominem permutare, quod per Jovem nec Diis ipſis facile fuerit*. His accedat, contrarias adeſſe indicationes, & remedia, quæ urinam, & tranſpirationem promovent, pulmonum hiatum aperire poſſunt. Ut autem aliquid moliamur in tam gravi morbo, laudarem pro abſumendis eroſivis ſalibus, & procuranda naturali ſanguinis compage uſum Croci Martis adſtring. cum ſucco concreto fol. plantag. quercus, & Cichor., vel horum decocto, hiſque utatur ſaltem per menſem. Fluente interim feliciter urina laudo uſum Spir. ſalis coag. Hadr. Amynſict. in ſyrup. de Althea, vel in decoct. marrub. Abſynth. atque radic. gram. Si autem alio evocanda ſit materia, loco decocti ex volatilibus, ne major in thorace hiatus fiat, uterer antimo. diaphor. Circa purgantia, & præcipue hydragoga caute incederem... Colliquant enim ſanguinis maſſam, & meatus magis aperiunt. Ego uti ſoleo ſequenti blando leniente.

℞. Seri Vacci lib. ii. fol. ſen. ℥ iiii. zinziber. ℈ i. ſuccini ℥ i. Macerentur omnia. Doſis fit ℥ iiii. Vel interdum uſurparem aquæ vitæ cochlearia, in qua infuſa ſit radix Ebuli. Clyſteres frequenter injiciantur, parati urina ſani infantis cum modico terebent. & ſalis prunelle. Circa localia Venter foveatur aqua fontis, in qua ſæpe ſit extinctus ignitus Calybs, vel ſequenti fomento.

℞. Urinæ pueri lib. iiii. ſalis Prunell. ℥ iii. bulliant ad conſumptionem tertiæ partis. Suſpectam in hoc caſu habeo Paracenteſim, cum, docente Hipp. celebranda ſit integris viſceribus exiſtentibus, & cito. Conſtat autem hanc affectionem ex morbis viſcerum comproductam eſſe. In vino infundat chalybem, & comam abſynthii, vel extinguat ignitos ſilices. Condiat cibaria ſale abſynth. Cæterum ex Hipp.

ex Celſo *fames*, *ſitis*, *labor*, *aliaque tedia in hoc morbo ſunt neceſſaria*: carnibus facilis coctionis, aſſis præcipue, in prandio utatur; parce tamen cœnet. Vitet acida, acria, & ſalſa. Pauca hæc curſim indicabam, eaque ſubjiciebam acri judicio Excellentiſſimi Viri. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM LXVI.

Hydrops Aſcites.

EX his, quæ a P. V. in doctiſſima Scheda habentur; patet N. P. Aſcite cum mixtura aliarum ſpecierum hydropis laborare. Excitatur autem aſcites ſoluta nativa ſanguinis compage ab erodentibus, & colliquantibus ſalibus in eodem exaltatis, vel affuſis; unde ſeroſitas vias ſibi aperit per poros vaſorum, & membranarum abdominis præcipue, vel ſaltem retardata in partibus ſanguinis circulatione, totum id, quod per arterias truditur, per venas nequit remeare; hinc congeſtiones ſeri ſuccedunt, quod occurrentibus cavitatibus receptum tumorem ſuſcitat. Idem quoque nunc accidit in ambitu corporis, & præcipue in pedibus, & cruribus; vitiata nempe ſanguinis compoſitione, & labefactato inteſtino motu ejuſdem, & volatilizatione venarum fibræ, amiſſo nativo periſtaltico motu, propulſum ſanguinem nequeunt ſurſum exprimere, unde ex ſtagnatione ſuccedit tumor ædematoſus. Morbus hic primo in thorace manifeſtari cœpit, unde tuſſis ſicca, deinde reſpirandi difficultas. Probabile enim eſt, ex ſanguinis circulatione per pulmones, colliquatos Sales membranarum poris, quibus pulmones integrantur, interceptos fuiſſe, & congeſtione facta primo Thoracem labefactaſſe, deinde vitium abdomini etiam communicatum eſſe, & poſtremo toti corpori, ita ut univerſa ejuſdem œconomia vitiata ſit. Viſcera quoq; & præcipue jecur, & lien laborant: etenim impedita bilis, & lienaris ſucci ſeparatione ex oppilantibus ſalibus, particulíſque tartareis, non ſolum tumor ſuccedit, ſed deficiente utroque fermento, & præcipue bile, vel ſaltem enervata ejuſdem nativa facultate, & energia, prima alimenti coctio non perficitur, nec chylus debite dulcoratur, ſed inquinatus,

tus, & ſalibus acidis ſaturatus ſanguini affunditur, unde morbi caſum auget.

Indicationes igitur ſunt; reſtituendi debitam compagem ſanguini, prout licet, auferendi erodentes ſales, firmandi motum periſtalticum partium, juvandi coctionem viſcerum, ne ulterius congeſtiones augeantur, ſed ichores ad vias urinæ deriventur. Quibus ſatisfacere difficillimum eſt, cum habeat hæc Areteus: *Oportet Medicum hoc in morbo totum hominem permutare, quod per Jovem, nec diis ipſis facile fuerit.* Ut igitur Curationem proſequamur, pro reſtituenda ſanguinis maſſæ nativa compage laudarem uſum Croci Martis adſtringentis cum ſucco concreto Cydo., & abſynth. quo utatur XXXXX. diebus. Interea uſurpet interdum rotulas paratas ſpiri. ſal. coagu. Amynſict. ſacch., & aqua Viola. In vino infundatur Chalybs, & coma. abſynth. roma., vel ſaltem in eo extinguantur ſilices igniarii candentes. Circa purgationem caute incedendum puto, ne corpus debilitetur, & inducta majori colliquatione ichorum, & aquarum proventus major fiat, ſoleo uti blando hoc medicamento, &c.

♃. Seri Vacci. lib. ii. Senæ mund. ℨ. 5. zinzib. ℈ i. Sacchar. candit. ℥. i. macerentur omnia. Doſis ℥. iiii.

Clyſteres quoque frequentes injiciantur parati urina hominis ſani, cum modico terebinth., & ſalis prunel. Interdum ſalutarem vidi uſum aquæ vitæ ad ℥. i. in qua radix ebuli infuſa ſit. Circa localia venter foveatur aqua ſalita, in qua ſæpius extinctus ſit ignitus Chalybs, vel ſequenti fomento.

♃. Urinæ pueri lib. iiii.
Salis prunel. ℥ iii.
Bulliant ad conſumptionem tertiæ partis.

Omnia liquida extinctione igniti chalyb. præparentur; ſale abſynth. condiat cibaria, juſcula, & carnes. In reliquis ex Hipp. parum bibat, & quamplurimum laboret, & exerceatur. Cibaria ſint facilis coctionis: vitetque acida, ſalſa, & acria, &c. Pauca hæc habebam pro ſalute J. C. atque ſubjiciebam acri judicio D. D. V. V. Faxit Deus, &c.

CON-

CONSILIUM LXVII.

Idropiſia Aſcite.

DAlli Sintomi eſpoſti nella Dottiſſima Relazione comprendo, che nel N. P. l'economia del corpo ſia ſconcertata, eſſendo viziati i fluidi, ed offeſe le viſcere, ſpecialmente nel ventre inferiore, atteſochè dal peſſimo nutrimento ricevuto nelle faſcie reſtarono contaminati i fluidi univerſali, e ſpecialmente delle glandule, onde ſi ſono manifeſtati tumori, abſceſſi, ed eroſioni, prima nella bocca per la corruttela della ſcialiva, e poi in altre parti per vizio della linfa renduta coagulativa, rodente, ed analoga all' acqua forte. Ora dal fluido univerſale il vizio ſi è comunicato alle glandule grandi, e particolarmente al fegato, ed alla milza, le quali rendute tarzarizzate, ed oſtrutte non poſſono riparare la bile, e l' umore lienare, e così non ſi dulcifica il chilo, e conſeguentemente il ſangue reſta infetto, e ripieno di que' ſali rodenti, che lacerano i linfatici, ed aprono con violenza i pori de' vaſi, onde il fiero traſuda nelle cavità, e forma l' Aſcite.

Sicchè le indicazioni ſono di levare per quanto ſi può il tumore delle viſcere, procurare di ripurgare il ſangue levando que' ſali eroſivi, portare alla via dell' Orina que' ſieri ſtravaſati, e corroborare i fermenti, e in fine biſognerebbe rifar' il tutto, come nota Areteo. Per levare adunque i ſali eroſivi, e levare la fuſione, che è nel ſangue, mi ſervirei ora di ℈ 5. di Croco di Marte, ovvero di tanta ruggine di ferro con altrettanto ſugo concreto di piantaggine, e li praticherei per XXXX. giorni. Se fra tanto l' orina ſi faceſſe copioſa, e facile, mi valerei dello ſpirito di ſale dolcificato preſo in un brodo alterato, con le radici di gramigna, d' altea, e colle foglie d' aſſenzo Romano. Per purgare, mi valerei del ſiero Vaccino, nel quale fuſſe iufuſa la ſena con un poco di zenzero. Potrà eſtinguere le pietre focaje infocate ne' ſuoi brodi, e nel vino l' acciajo, e le foglie d' aſſenzo. Salerà le ſue carni, e brodi con ſale di aſſenzo. Continuerà li lavativi fatti d' orina. Fomenterà il ventre inferiore con l'acqua acciarita meſcolata con l' orina, ponendovi

dovi il ſal prunelle; e bollirà il tutto alla conſumazione del terzo; Si guardi dalli purganti, e dalli acidi; Queſto è ciò, che brevemente poſſo motivare in caſo così diffici- le, rimettendomi ſempre alla ſomma prudenza, e ſano con- ſiglio dell' E. C. &c.

CONSILIUM LXVIII.

Calculus in rene Dextero.

Ex his, quæ in exarata Scheda habentur, conjectari licet, extraneum quidem calculum in urinæ viis N. V. detineri juxta ea, quæ ex Hippo. de internis affecti- bus habentur. Situs enim, & qualitas primævi doloris, exaratæ arenulæ, urinæ rubræ, & ſanguineæ a motu reddi- tæ, & poſt redditam urinam ſenſus quidam, ſeu dolor, qui extendi videtur a rene ad medium pudendi, & tandem per- petuus gravativus quidam ſenſus, obtuſus tamen, in dexte- ra lumbali regione id abunde indicare videntur. Et licet morbi viarum urinæ æquivoci ſint, multaque egeant inda- gine, ut vere pars affecta, & ſedes morbi certe ſtatuatur, & quædam ſigna veſicæ affectum in Caſu noſtro indicari vi- deantur; nobis tamen probabilius arridet calculum adhuc in dextero rene commorari. Hujus igitur pondere, & fi- gura fibræ, quibus pelvis continens integratur, leviter ſtimu- lantur, unde immutato animalium ſpirituum motu, & exci- tata parva convulſione dolor ſuccedit gravativus, & obtu- ſus. Et quoniam dictæ membranoſæ fibræ a pelvi mediis u- reteribus, veſica urinaria, & urethra uſque ad penem conti- nuantur, hinc eſt, quod vellicatis fibris ab exeunte urina ſenſus in pudendo, & affecto rene tamquam in ſtabilibus locis, & terminis appenſarum fibrarum manifeſtatur. Succedit pa- riter ex motu ſanguineæ urinæ excretio: attritione namque media a contenti calculi ſcabritie tenella vaſcula lacerantur, unde effluens ſanguis urinam inficit. Doloris gradus modo minor eſt, ac in principio, quia impedito motu vel a lo- co, aut a ſubcreſcente forma, non ita vellicantur ambien- tes membranæ, & continuati nervi: quin & interdum, ut ex ſectione Cadaverum patet, calculi majores mole exi- guo, & minus acuto dolore in renibus detinentur. Calculi ma-

materia, & generatio adhuc obſcura, & dubia videtur in Schola Medica. Ex his tamen, quæ paſſim in naturæ, & artis operibus contemplamur, videtur probabile, humorum crudam, ſalinamque præcipuam materiam cum acido ſucco concreſcere in calculos, ita ut ex ſuccis acidis affuſis fluida quędam in lapillos immutentur. Probabile eſt igitur ſalinas conſimiles particulas per tranſpiratum non diſſipatas affuſo acido ichore, auſtero præcipue, in renibus, deficiente inteſtino motu, calculum ferruminare. Deducitur autem ichor acidus a lymphaticis in ſanguinem, vel ab hypochondriis, ubi debita non ſuccedit excretorum præcipitatio, & Chyli dulcoratio.

Ex his itaque manifeſtæ apparent indicationes Medicæ, tollendi ſcilicet calculum, vel ſaltem minuendi ejus molem; laxandi vias, & auferendi irritationes. Ut his igitur aliquo modo ſatisfiat, curatio inſtitui debet. Lenientis loco uſurpari poterit ole. amygd. dul. ſine igne extra. quod etiam frequenter loco cenæ exhiberi poterit. Alterantia ſint ſucci depurati ex malva, pariet., Hedera terreſtri, & viol., vel ex conſimilibus, quibus quarto die addat gutt. aliquot ſpiritus nitri dulcif., vel ſpirit. ſal. armon. hiſque utatur per menſem. Deinde ex uſu ſit terebinthina juleb., vel ſaltem eadem in ſubſtantia ſuperbibendo juſculum alteratum radic. altheæ, & Ononidis per XV. dies. His peractis aquæ Thermales acidulæ præcipue, quæ in Germania copioſæ occurrunt, ex uſu eſſe poterunt, ſimulque adminiſtrentur balnea, vel ſtillicidia ſupra partem affectam. Interdum pulvis Millepedum, vel eorum infuſio facta in vino albo aſſumatur. Vinum pariter, quod in menſa potatur, alteretur extinctione ſilicum ignitorum, quibus etiam addi poſſunt folia aliquot abſynthii Romani. Ante cibum frequenter utatur ocul. Canc., & ſale eſculento marino liberaliter utatur; ſylveſtres enim ſales ebibit. Pro cibo fluviales cancros, & columbos ſylveſtres ſepe edat; nec cibis diuretica præcipue valida miſceat. Ducunt enim crudos humores, ad partem affectam; Parce cenet, & ciborum varietatem vitet. In reliquis Hippo. 6. Epidem. curationem docet his verbis. *Quieſcere non confert ſed exerceri, non repleri, juvenes helleboro purgare, poplitem incidere, urinariis purgare; attenuare, & mollire.* Pauca hæc habebam pro curatione tam difficilis morbi, quę acri judicio D. D. M. M. ſubjicimus. Faxit Deus.

R CON-

CONSILIUM LXIX.

Nephriticus dolor ex calculo , Renis ulcus , & Febris cum obſtructione Hepatis .

EX ſymptomatibus expoſitis in doctiſſima Scheda patet , N. P. laborare Nephritico dolore , & ulcere renis , cui comes aditurur febris , & ulterius hepar obſtructionibus tentari . Producitur autem Calculus ex inquinamentis ab hypochondriis , quibus in ſanguineam maſſam ingeſtis , & ad Renes deductis , fit primo ferruminatio ſalium , & terreſtris portionis , unde calculorum concretio , a quorum figura , & ſitu tenella excretoria vaſa renalia , quæ ſpeciem carnis habent , & copioſis ſanguineis vaſis circumambiuntur , eroduntur , & ſolvuntur , unde dolor , ſanguinis primo excretio cum urina , & poſtremo ſanies . Succedit autem febris , quia ſanioſi ichores reflui per venas in ſanguine fermentationem improportionatam excitant ; unde horror manifeſtatur , impedito primo motu inteſtino ſanguinis , & fixatis volatilibus particulis per breve tempus . His addi poteſt nervorum affectio : nam vellicatis ipſorum finibus ad renes derivatis quædam ſuccedit convulſio , a qua cardiacus nervus inoſculatus plus juſto dilatare , & conſtringere poteſt vaſorum cordis hiatus , a quibus , variata ſanguinis in cor intruſione , circulatio vitiatur , & inteſtinus etiam ſanguinis motus non parum immutatur . Inter cauſas igitur non ultimum locum habet lobus hepatis , in quo fixate ſales coagulativi , & acidi bilis ſeparationem impediunt , & quæ in duodenum exprimitur , debita non gaudet energia , quapropter attritio in alimentis non perficitur ; hinc tamquam ex fonte emanat vitium ſanguinis , a quo in renibus excitatur , & manifeſtatur morbus .

Indicationes itaque Medicæ occurrunt , ut deturbetur extraneum corpus , ulcus auferatur , ut reſtituta nativa compage ſolidæ parti , ſanguis intra vaſa detineatur , ſedentur irritationes , & tollatur ſucceſſiva febris . Quibus peractis , ſi fieri poteſt , attendenda erit cauſa in deobſtruendo hepar , & vigorando bilis ſales . Pro quibus aſſequendis curationem

jam

jam inchoatam proſequi expedit. Et primo, licet febris ſymptomatica ſit, ſumme tamen attendenda eſt; unde pro nunc victus tenuis abſque carne, & vino inſtituendus eſt. Si urgeat calor, & difficultas ſpirandi, venæ ſectio in brachio inſtituenda eſt. Alterantis interim loco, habito reſpectu ad febrem, & ad renis affectionem potet ſerum Capril. colatum cum ocul. cancr. Si miteſcat febris, exhiberi poterit terebinthina julebizata, vel ſaltem lota cum aqu. plantag. una cum pulver. liquiri. per XV. dies, cui ſuperbibat juſculum Chalybeatum, & alteratum malva, heder. terreſtri, & equiſeto, deinde potet lac aſininum, cui miſceat balſami peruviani gutt. V. vel concoqui poteſt idem lac cum ſimplicibus vulnerariis, ſi toleretur, per menſem adminiſtretur. Deinde lac Vaccinum alteratum filicibus igniariis candentibus, & exhibeatur, addito ℈i. bol. arme., aut idem coquatur cum quarta parte aqu. plantag. Vinum alteretur extinctione lapidum igniar. canden. Pro reſerandis autem obſtructionibus hepatis, ſi, favente Deo, renum ulcus conſolidabitur, ex uſu erunt Chalybea., præcipue tinctur., eſus fruſtulorum rhabarbari, & vinum abſynthii Romani coma alteretur. Interea cum cibo ocul. cancror., & C. C. utatur. Circa alvum ſolventia, caute incedendum puto, contenti ole. amygd. dul., vel Caſſia cum Conſerva flor. malvæ. Clyſter. ex oleo amygd., vel viol. ſeu lacte vaccino chalybe. parati frequenter injiciantur. Pauca hæc, &c. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM LXX.

Ulcus in collo Veſicæ.

EX his, quæ in eleganti Scheda exarantur, patet N. V. veſicæ affectione laborare, ex qua expoſita ſymptomata ortum trahunt. Probabile namque eſt, ut Præclariſſimus raciocinatur Vir, excitato in veſicæ collo ulcere, ſanguinem cum urina tandem effluere, urinas turbari, eaſque frequenter, & cum ardore excerni, & in iiſdem lentam, & mucoſam præcipitari ſubſtantiam. An vero

R 2 hæc

hæc continui ſolutio ortum trahat ab inquinamentis præcipue acidis, & erodentibus in ſanguinis maſſa exaltatis, & a toto in hanc partem detruſis; an potius ab aliquo extraneo, hoc eſt a lapide in veſica contento, cujus incubatu ulcus excitetur, & nervi convellantur, vaſaque aperiantur, controverſum video, ſed, ut verum fatear, tam æquivocæ ſunt harum affectionum ſymptomata, ut ſolo ſenſu lis dirimi poſſit. Cum itaque vehementer dubitem, ultra veſicæ ulcus lapidem extare, neceſſe eſt, ut a perito Artifice diligenter, & blande fiat exploratio. Remoto enim hoc dubio curatio ulceris ſolidius inſtitui poterit. Quapropter pro amovendo ulcere laudo propoſita remedia, herbarum ſcilicet depur. ſuccos, præcipue plantag. portula., malvæ, pariet., & ſimil., quibus tractu temporis addi poterit croc. Mart. adſtring., vel ejus loco gutt. aliquot balſ. peruvi. In hunc finem quoque terebinth. julebizata poſtremo uſurpari poterit. Quibus peractis devenirem ad uſum propoſiti lact. aſinini, quod longo tempore potetur abſque vino. Tandem urgente æſtatis calore aquæ Villenſes ex uſu ſint, quo tempore etiam balnea, ſeu inſeſſus fiant in aqu. chalyb. alterata ſimpli. :ſ: fol. quercus, & vulnerar. Interim injectiones fiant aqua fabro., in qua deco. ſint lign. Sanct., fol. mal., parie., plantag., perforat., & ſimil., addit. gutt. aliquot balſa. peruvi., & interdum injiciatur vinum myrrhatum. At ſi conſtet de exiſtentia lapidis; his omiſſis ſola extractio, conſentientibus reliquis, conveniet. Interea abſtineat a diureticis acribus, & ſalſis, & palliativa curatio ſufficiat, aſſumendo tantum ea, quibus dolor, & mingendi cupido demulceatur, qualia ſunt juſcula alt. fol., mal. viola., & ſimil. Gelat. pariter C. C., cruſtacea, & præcipue ocul. cancro. una cum cibo exhibeantur. Emulſiones pariter ex amygd. dulc. frequenter ex uſu ſint. Pauca hæc habebam curſim in medio mearum occupat. pro confirmatione propoſitorum a P. V., cujus judicio hæc libens ſubjicio. Faxit Deus.

CONSILIUM
LXXI.

Tuberculum Uretræ.

HYpotheſis in Doctiſſima Scheda exarata, & ab Hippocrate lib. 4. aphoriſmorum deducta, Eminentiſſimum ſcilicet Principem ſolo uretræ tuberculo laboraſſe, unde facta ſuppuratione, & excretione morbum ſolutum fuiſſe, eodem Hippocrate docente *morbum Sanatione oſtendi*, firmata ſtabit, ſubſequente integra, & perfecta tuberculi, & ulceris ſanatione. At ſi alias obſervatorum Symptomatum ſyndromes recurrat, de aliis dubitare non eſt inutile; nempe de altiori radice in continuatis partibus urinariis, vel ſaltem de diatheſi per ulteriorem gradum in parte affecta ita radicata, ut in præſenti ſtatu perennitatis affectus, & recrudeſcentiæ cauſa dici poſſit, cum ab ipſa influens alimentum corrumpatur, non parum conferentibus ſinuoſa Proſtatarum, & ſimilium glandularum ſtructura, & natura, in quibus ex contenti humoris activitate, & vaſorum copia ábſceſſus de facili excitari poſſunt. Cum igitur de ſingulis ſuſpicari expediat, fidenter illud nobis repetere licebit, *ſanatio oſtendet*. Interea manifeſta exiſtente ulceris ſordidi præſentia cum aliqua ſinuoſitate, non ambigua emanat indicatio, leviter detergendi id, quod ad partem affluit, congrua inſtituta dulcoratione, ut debitæ conſolidationi aptum reddatur. Etenim, ſi impurum tuberculum, & ulcus excitavit, depuratum ſanationem inducet. In hunc finem igitur probantur aquæ thermales propoſitæ Ficoncellæ, vel Villenſes: his namque univerſalis fluidorum adæquatio promovetur, elutis a toto acidis, & ſalſis inquinamentis, ut affectæ partis deterſio, & conſolidatio celebretur. Potentur igitur exaratæ aquæ tepidæ, vel nullo, vel ſaltem miti vehiculo, quale eſt ſyrup. de Ibiſco ad ℥ iii., vel iv., vel ſyrup. de ſucco limo. cum ſyrup. de ſucco Viola., aut Saccharo candit. pulv., omiſſis quibuſcumque diureticis validioribus, & acrioribus remediis, quæ alias opportunæ eſſent. Interim localibus interdum per ſyphunculum injiciendis perita manu pugnandum eſt: hæcque, ultra propoſita, ex decocto parietariæ, matris viola. Capil. Vener., hordei, &c. in aqua ferrata parari poterunt; ita enim quælibet irri-

irritamenti occaſio removebitur. His peractis, ſi Hippocratica ſolutio, hoc eſt perfecta contingat ſanatio, quieſcendum; at ſi aliqua ardoris veſtigia ſuperſint, & ichoroſum effluat a parte, quod in totius maſſæ Sanguinariæ diſcraſiam, & ipſis fluidis improportionatam refundi videatur, probatiſſimum occurret remedium, Lac ſcilicet aſininum, cujus longo uſu pars, & totum juvari poterit, ita ut ſanatio intenta ſtabilimentum capiat.

At ſi obſervata alias in hac affectione ſymptomata recurrant, putis ſcilicet nova excretio, & recrudeſcens ſtranguria, vel ſaltem ſanioſæ materiæ perennet eruptio, de altiori radice verendum: ideo ut remedium morbo æquetur, ſalſæ parill. in ſero Capril. deſtil. maceratæ uſus probatur, vel ejus loco chinæ gummoſæ lenis infuſio proponitur; horum enim uſu totius refermentatio placida, & ſenſim facta deterſio, & conſolidatio ſperari poteſt, &c.

Hæc omnia innuimus, non immemores remedii nunquam omittendi in febris intenſioris manifeſtatione, & urgentis doloris duratione, ad arcendam inflammationem, ſectionis ſcilicet venæ in brachio, & in pede, habita ratione totius & partis, &c.

Quæ omnia, & ſingula ex nutu Eminentiſſimi Principis indicata pro integra ejus ſalute proponimus, & medentium ſaniori judicio ſubjicimus, &c. F. D.

CONSILIUM LXXII.

Diabetes.

Ex his, quæ retulit E. V., qui morbum I. & R. V., ejuſque ſymptomata obſervavit, & a tranſmiſſa ſchedula evidentiſſime noſtra confirmatur ſuſpicio, affectum nempe hunc eſſe urinæ profluvium, cui dolor ſtomachi præceſſerat. Omnia hæc ſymptomata originem ducunt a materia, quæ alias podagram excitavit, a copia ſcilicet Salium acidorum, & crudorum, qui in ſtomachi tunicis fixati dolorem, & ſitim contumaciſſimam cauſarunt. Et quoniam iidem ichores, & Sales maſſam Sanguinis infeſtantes eandem attenuant, ac fundunt, hinc in tranſitu per renes major urinæ copia ſecernitur, renum ſtructura vitiatur, & conſequenter deficiente debita

bita corporis nutritione macies, & partium debilitas neceſſario ſuccedit.

Indicationes itaque erunt auferendi cauſam hujus colliquationis, & partes affectas roborandi. Ad hunc finem opportuna erunt ea remedia, quæ ſalinas particulas, & eroſivas obtundunt, quæque debitam ſanguini craſim conciliant; ideoque proficuum cenſeo uſum ſeri capril., quod prædictos ſales a ventriculo, & hypocondriis poteſt detergere, eorumque acrimoniam particulis lixivioſis, quas continet, temperare. Exhiberi poterit una cum gelat. C. C., quæ cauſam materialem morbi lenit, ac mitigat. Et quoniam a Medicis Florentinis uſurpari ſolent humida ad tollendam cauſam colliquationis, juvare poterit aqua hordei interdiu ſumenda. Pulpa tamarind. una cum ptiſana hordeacea, bis, aut ter in hebdomada conveniet, quoniam fortaſſe ichorem aliquem per alvum dejiciet, ſimulque corroborabit. Cæterum ſucci herbar. depur. requiſitam cruoris texturam conciliabunt, & particularum erodentium activitatem imminuent. His addi poſſunt ſucci malvæ, violar. &c. Et quoniam materia morbifica ab hypochondriis ſubminiſtratur, progreſſu temporis prædictis ſuccis chalyb. aliquod adderem, quod non adſtringendi tantummodo, ſed materiam imbibendi, fuſionem Sanguinis impediendi, ſimulque partes roborandi, vim habet, & ideo tutiſſime aſſumi poteſt. His peractis, tranſeat ad uſum lactis propoſiti, quod præſcripto modo aſsumatur. Circa propoſitam ptiſanam cum aliis convenio, & alternatim ſumi poteſt emulſio. amygd. dul., quæ partibus oleoſis jam dictos ſales irretire valet. Cruſtacea cauſam morbi non concentrant, ſed imbibunt, & per primas vias eliminant. Abſtineat a vino, ejuſque loco potet aquam Noceræ Chalyb.. Hæc iterum habebam pro Salute I. & R. V., cujus felicem exitum ſperare jam convenit, quoniam ex relatione D. Bonfilioli habitus corporis non adeo emaciatus eſt. F. D.

CON-

CONSILIUM LXXIII.

Sanguinis mictio.

Convenio cum Doctiſſimo Viro, circa ideam, & cauſam morboſæ affectionis, qua vexatur Eminentiſſimus Princeps. Evidens namque eſt, cruentam reddere urinam cum minimis filamentis, grumiſque Sanguinis per modum contenti, quæ a fundo vaſis attolluntur. Præceſſe re urinæ turbidæ, & ardens quidam ſenſus in mictione. A quanam parte erumpat Sanguinis, & particulæ urinam turbantes, inquirendum venit; & licet hujuſmodi morbi, quibus urinæ viæ afficiuntur, difficilem habeant indaginem, ut non raro decipiantur Medici in aſſignanda ſede affecta, ex his tamen, quæ uſque in hanc diem innotuere, conjectare licet, excretum Sanguinem, & urinæ mictum vitio renum contingere, etiamſi non adhuc ſuæ paſſionis ſigna exhibeant. Veroſimile namque eſt, ſanguinis maſsam particulis, & ſalibus eroſivis ſaturatam in renes propulſam glandularum renalium meatum, & tenellam Compagem plus juſto aperire, & laxare, ita ut non ſolum admittatur ſeroſa Sanguinis portio cum Salibus urinoſis, verum etiam ſeri concreſcibilis, & nutritivi inſignis pars cum rubris atomis, quibus totus Sanguis coloratur. Et quoniam perennante affectione, morboſa copia, & activitate ſalium acrium, & erodentium, qui tractu temporis veluti in eryſipelate figuntur, fiſtuloſa renum caro frequenter abraditur, & minima etiam ſanguinea vaſa lacerantur, hinc oblæſa compage, & ſtructura ſanguinis concreti, & aliorum ramenta ab urina eluuntur, & in ea ſubſident. Confluunt igitur a toto exarati Sales, & eroſiva inquinamenta, & veluti aqua fortis Sanguini mixta ſuas vires in renibus exerunt; geminæ namque partes ſunt, quæ ob arctam meatuum configurationem, & tenellam ſubſtantiam, qua integrantur, toti conſentiunt, pulmones ſcilicet, & renes. Diuturnitate igitur temporis graviores curæ, cœlum varium, alimenta diverſa, & incongrua, victus tandem ratio acidiorem reddidere Sanguinem, ac vitiato inteſtino motu, & ſucceſſive tranſpiratione, reflua recrementa per renes viam ſibi fecere, & urinæ mixta, vellicando veſicam ipſam,

pſam, & urethram, frequenter ardorem induxere. Succedit autem totius corporis aliqualis macies, quia imminuto Sanguine deficit alimonia, & activitate acrioris Sanguinis circulatione media a partibus ſolidis non parum abraditur. Color quoque faciei floridus ſenſim imminuitur, deficientibus atomis rubris, quibus Sanguis velut purpura inficitur, &c.

Ex his itaque elici poſſunt indicationes Medicæ deputandi Sanguinem ab exaratis erofivis inquinamentis, ſeu particulis; conſolidandi renes; prohibendi abraſionem; & renutriendi univerſum corpus. Morbus hic licet in ſenibus difficillime curetur ob renum debilitatem, attamen ad decrepitatem frequenter protrahitur ætas, in his etiam, quibus exiſtente inſigni calculo renum ſubſtantia non parum conſumitur. Quapropter curatio inſtituenda venit, & pro lenienda alvo uſurpetur pulpa tamarind. cum tartaro, vel quid ſimile, cavendo ab impenſe ſolventibus, & irritantibus. Si vomitus familiaris ſit, & facilis, provocari poterit decoctis, & juſculis pinguibus, & tepidis atteratis, laxantibus ſimplicibus; ſumme enim juvat evacuando acida inquinamenta, quibus chylus, & poſtremo ſanguis inquinatur. Ut autem cohibeatur nimius Sanguinis effluxus, ſimulque Sanguinis maſſa depuretur; ex uſu ſint ſucci depur. plantag., equiſeti, hyperico., & agrimo., quibus addi poterit crocus mart. adſtring., hiſque utatur fere per menſem; dein pro conſolidanda parte, dulcorandis fluidis, & renutriendo corpore lac potari poterit. Hippocrates in conſimili caſu, præſente etiam calculo, exhibet lac capri. cum ſexta parte aquæ violar. Reliqui practici ſummopere laudant lac ovinum cum bolo armeno; & frequenter ex uſu ſit propoſitum lac vaccæ, quod coquitur cum modica aqua plantag.. Quapropter ſi magis urgeat indicatio nutritionis, quam conſolidationis, uſurpari poterit lac vaccæ coctum cum aqua, vel cum eo miſceatur portio aquæ plantag., diuque aſſumatur, & tandem opportuno tempore aqua Villenſis potetur; hac enim erodentes particulæ eluuntur, & pars firmatur. Interea rotulis paratis utatur C. C. uſto, terra ſigilla., oculis cancro., ſemi. papaver. albi, & aliquot opii crudi gra., Sacchar. candido, & aqua plantag., quæ irrorentur oleo ſuccini; his enim interdiu uſurpatis Sanguinis fluxus aliqualiter coercebitur, & pars conſolidabitur. Per æſtatem opportunus erit continuatus uſus ſeri Vaccini ſeparati, antequam Caſeus ſecundarius fiat ad ℥ vi. ſingulo mane. Doctiſſimus Vir laudat in contumaci cruenta urina uſum pilulæ ex Terebenthina cum Rhabarbaro, quarum uſus poſtremo tentari poterit. Vinum al-

teretur infuſio. Chalybis, aut temperetur aqua, in qua ma-ceretur Ariſtolochia rotunda. Emulſiones in aqua Plantagi., vel in jure ex ſeminibus Cucurbitæ opportunæ erunt; qui-bus interdum addi poterunt ſemina papa. albi. Circa victus rationem portulaca in cibis coquatur, vel urticæ radix: pul-menta in lacte Vaccino parentur cum ovis vel ex oryza, & hordeo, contrito pane, milio, & ſimilibus. Leguminum u-ſus vitetur. Amygd. dul. præcipue recentes proſunt, & con-ſimilia laudantur. Peponum, & fragarum moderatus uſus conveniet. Radix cichor. cocta uſurpari poteſt. Aqua fre-quenter utatur: temperat enim acidum, renumque, & ven-triculi vitia corrigit. Vinum ſit rubrum, & ſubadſtringens, nec generoſum. Hœferus vituperat in hoc caſu conſimile vi-num, cui plurimum tartari ineſt, ſicut & carnem Alauda-rum. Eſus frequens cancrorum fluvial. perutilis erit: habent enim naturam dulcificantem, & vulnerariam. Cæterum vi-tetur cibariorum nimia raritas, ſicut & copia; cibus enim noxior eſt in quanto, quam in quali; Salſamentoſa condi-menta acida, & acria perniciosa ſunt. A prandio poſt unam, vel alteram horam potet frequenter Caphé: aqua enim ci-bi ſales diluit, & pars oleoſa acida corrigit, & dulcificat. Localis motus præcipue prodeſt pro excitanda tranſpiratio-ne, imo neceſſarius quidem eſt: at quoniam Sanguinis mo-tus tunc auctior, & vehementior redditur, ideo moderate inſtituendus, cum æque noceat quies, ac excedens motus. Hilare vivat abſque curis, nec ſollicitus ſit de continua uri-narum inſpectione. Pauca hæc habebam pro Salute E. P., cu-jus incolumitas omnibus votis expetitur, ut Chriſtianum Orbem, quem ſervavit, regat, & componat. F. D. &c.

CONSILIUM LXXIV.

Pro Præſervatione mictionis arenularum.

ARenularum ferax generatio dependet probabiliter a copia auſteri, & coagulantis ſucci, ſeu ichoris, qui lixivioſis ſalibus, & tartareis particulis unitus globu-los excitat. Hic autem ex aliquo viſcere, & præcipue ex i-mi ventris glandulis ortum ducit: unde cum Chylo in San-guinem introductus poſtremo cum urina ſeparatur, ibique

a vo-

a volatilibus ſanguinis particulis ſejunctus vim ſuam exerit; unde aſſociatus tartaro, & terreis particulis non ſatis in co-ctionibus attritis arenularum generationem promovet. Non ſuccedit autem in hujuſmodi conſtitutione perpetuo, & ne-ceſſario calculi generatio, ut Cardanus in ſeipſo, & plures Practicantes obſervarunt. Et quia calculorum materia ut plurimum minimis particulis integratur, quæ ſuperficierum contactu ſolidum efficiunt corpus, vel ſaltem mediat corpus auſterum glutinis, ſeu calcis inſtar, quod intercapedines re-plendo continuitatem, & ſoliditatem conciliat; in arenulis autem partes componentes mole inſigniores ſunt, nec lævita-te ſuperficierum ita gaudent, ut mutuo ſibi cohæreant. His accedit coagulativum principium languidum, & exiguum quantitate adeſſe, unde non fit inſignium corporum concre-tio. Prima igitur coctio ex enervatis fermentis non debite abſoluta arenularum materiam exhibet; terreſtres enim ali-mentorum particulæ non ſufficienter evictæ cum fæcibus ne-quaquam præcipitantur, & eliminantur; ſed ſanguinis maſ-ſam ſubingreſſæ cum ulteriores coctiones, & ſeparationes e-ludant, & præcipue tranſpiratum in renibus ab auſtero icho-re ferruminantur in arenoſa corpora. Juvat hunc morbum conſtitutio nativa ex ſemine diſpoſito in fermentis, & ſolidis partibus a Parentibus relicta, quæ cum alimentorum conti-nua ſubminiſtratione non evincatur, ſuas quoquomodo exe-rit vires.

Indicationes igitur ſunt juvandi coctiones, eliminandi par-ticulas tartareas, & prohibendi, ne acidorum vigente ener-gia, & copia in calculos excreſcant, & conglobentur. Qui-bus ut ſatisfiat, levibus placidiſque, ſed oblongo tempore u-ſurpatis remediis tentandum erit. Alvus perpetuo lubrica ma-nu teneatur, & ſi forte copioſa non fluat, floribus Caſſiæ ad ℥ v. cum totidem conſerva malvarum, vel viol. ſtimuletur, & ſemel in hebdomada uſurpari poterunt. Si facilis vomitus fit, maxime conveniet bis in menſe provocatus folis immiſſis digitis, vel aqua tepida, vel jure pingui. Alterantium loco hoc tempore per menſem utatur jure pullæ, in quo decocta ſint folia agrimoniæ, malvæ, boraginis, radicum gram., & fœniculi, cum quo aſſumat ℥ i. ocul. cancror. vel Raſuram matris Perlar. Vigente calore aeris laudarem uſum aquæ Nu-ceriæ, aut Villenſis per X. dies, qua inquinamenta totius e-luantur, viæque mundificentur, quo tempore etiam, & per totam æſtatem, alternis diebus, balnea aquæ dulcis admini-ſtrari poterunt pro juvando tranſpiratu. Cæterum præſerva-tionis gratia victus ratio debite inſtituatur. Caveat a reple-

tione ex Hippocrate 6. Epidemiorum, a Caſeo, & cibis craſſis difficilis coctionis, vel ab herbis, acidiſque eduliis. Opportunæ erunt præ reliquis carnes volatilium, & præcipue Columbarum ſylveſtrium, cancri fluviales, piſceſque ſaxatiles. In juſculis frequenter coquatur radix pinpinel., & petroſelini, & ſale marino liberaliter utatur; abſumit enim reliquos ſylveſtres ſales. Cardanus pro avertenda generatione lapidis delectabatur copioſo uſu olei, quia forte imbibit acidum: hinc emulſiones ex amygd. dulc. recent. utiles erunt. Nonnulli etiam ante cibum butyro, & ſaccharo proficue utuntur. Poſt cibum quoque laudant uſum maſtiches electi ad gra. iiii. Crato commendat aſſumptionem nucum avellanarum in principio prandii, vel cene cum ſuis membranis, quibus nonnulli amygd. amaras ſubſtituunt. Vinum generoſum ob copiam tartari eſt fugiendum: ſit itaque album, & tenue. Hippocrates 6. Epidemio. docet exercitium utile eſſe, ſicuti Lac aſininum, vel vaccinum cum aqua. Balnea aque dulcis, & thermales aquæ pariter commendantur. Vitanda etiam eſt, quantum fieri poteſt, repletio. Poſtremo unum ex Cardano addam ad prohidendum lapidis generationem: ſubſultim, nempe mingendum, & non continuatim: ita enim tota ſabuloſa materia in veſica ſtagnans extruditur.

CONSILIUM
LXXV.

Urinæ difficultas, quæ guttatim exprimitur cum dolore & ardore, & interdum cum ſedimento tartareo.

Morboſæ affectiones, quibus tentantur renes, adeo obſcuram habent indaginem, & determinationem, ut frequenter experiſſimos Viros fallant. Quapropter in determinanda N. R. affectione, & ſede morbi ſummo cum ſtudio, judicio, & cautela incedendum putamus. Præcipua igitur ſymptomata, quæ in N. V. obſervantur, ſunt urinæ difficultas, ita ut guttatim frequenter emittatur: Dolor antecedit mictionem: ad ſitum colli veſicæ, & continuatæ urethræ, a mictione perſentit ardorem uſque ad glandem; urina

rina clara eſt cum ſedimento, interdum tartareo, & alias obſervata eſt ſubſidens mucoſitas ; poſt motum localem e-quitando, vel in rheda ſanguis exit etiam copioſus, vividus, qui in grumos concreſcit in fundo matulæ : dolor in ſpina dorſi manifeſtatur, & interdum libere flecti non poteſt, ſed nullus ſenſus caloris, vel alterius ſymptomatis manifeſtatur. Ex his igitur certa quædam colligimus, alia autem dubios nos tenent. Certum itaque videtur veſicam quoad collum ita irritari, & quaſi convelli, ex doctrina Hippocratis 4. aphoriſmorum, ut neceſſario cogatur frequenter lotium emittere : Hinc compatitur continuata urethra ratione propriæ membranæ, & rectarum fibrarum. An vero urinæ affectus ſit in ſola excoriatione, vel ulcere, & a qua cauſa fiat, adhuc dubium : cum enim in urina non adſit purulenta quædam materia, vel ſordidus ichor, ſed tantum manifeſtetur ſanguis ſincerus poſt cauſam externam excretus, conjectare licet aperturam, & hiatum fieri ſanguineorum vaſorum in collo veſicæ, & in urethræ principio, ubi copioſa, & ampla ſunt vaſa. Hanc autem excretionem ſanguineam plura excitare poſſunt, nempe acres, & erodentes humores a toto in veſicam prolapſi : quorum tamen indicia adhuc deſiderantur, cum totus corporis habitus bene valeat, & vigente hac morboſa affectione N. P. pinguis redditus fuerit. Hinc dubitandi locus nobis remanet, an potius exarata ſymptomata ex ſanguinis vitio dependeant, an ab extraneo corpore, ut a lapide ibidem ſtagnante, qui ſua aſperitate contracta veſica, & mota ſolvat continuationem vaſorum, & ſua inſinuatione ad principium urethræ reliqua comproducat. Quoniam tamen certa veritatis indago haberi poteſt a lithotomis factis debetis explorationibus circa partem ; ideo tanquam dubiam enuntiamus, & judicium peritis in arte committimus. His igitur ſtantibus varia occurrit indicatio : ſi enim certo pateat, lapidem contineri in veſica, vigente vere, in bono corporis habitu, nec enervatis adhuc partibus veſicam conſtituentibus, conſulimus extractionem a perito lithotomo celebrandam. Cæterum ſi conſtet, non adeſſe lapidem, ſed ſolum irritationem, & excoriationem in parte, indicationes occurrunt mitigandi ichores erodentes, qui per vias urinæ derivantur, conſolidandi partem affectam, & emolliendi, ut ablata irritatione, & convulſione bene fluat abſque ardore urina, ſtato tempore eadem detineatur, reliquaque ſymptomata auferantur. Ut igitur his ſatisfaciamus, conſulimus inſtituendam eſſe longam, & accuratam curationem. Primo igitur

le-

leniatur alvus flor. Caſſ. cum conſerva. Malvæ, vel Viol., deinde exhibeatur jus parvæ pullæ, alter. fol. viol., malvæ, borag., cum quo aſſumat cochl. ſyrup. de altl. & oculo. cancro. ℈ i. per XV. dies, deinde repetat uſum præſcriptæ Caſſ., facta ſectione Venæ in brachio poſt iv. vel v. ſyrup. Inde ſint ex uſu ſucci depurati Mal., Viol., pariet. ad ℥ ii. & ſimi. per menſem. Urgente autem calore inſeſſus fiant in thermis appropriatis naturalibus, ut Villenſibus, vel ſaltem arte paratis ex aqua dul. alterata ſimpli. emoll., ſemi. lini, amygd. dulcibus. At circa uſum aquar. ther. exiſtente lapide in veſica dubiam putamus ipſarum uſurpationem: eluuntur enim interdum mucoſitates ambientes ipſos lapides, unde ſæviora redduntur ſymptomata. Quare potius laudamus ſerum Capr. colat. ad ℥ vi. ſingulo mane potandum, cui addi poteſt bolus terebin. lotæ aqu. Viol.; & ſi adeſſent ſigna exulceratæ partis, loco terebinthinæ miſceri poteſt eidem ſero ſpir. ſal. ad gutt. V.

Victus ratio rite inſtituatur, ac elixis carnibus, vel aſſatis abſque aromatum condimento utatur, quæ ſint facilis coctionis. Caveat ab acidis, acribus, & piperatis; Cœna ſit parca abſque condimentis; frequenter utatur emulſionibus paratis amygd. dul., & ſuo tempore recent. in aqua viol., vel jure tenui. Pruna matura, non acida, Pepones, amygd. recentes, fragæ ex uſu eſſe poterunt. Vinum ſit Oligophorum, quod ex aqua Nuceriæ, vel ligno Nephritico alterata temperari poterit. Quieſcat corpore, & animo, & interim ſphænomena obſerventur, quæ tractu temporis in urinis manifeſtantur, ut quæ dubia ſunt, dilucidari poſſint, &c.

CONSILIUM LXXVI.

Retenzione d'Orina da materia mucoſa, ed Erpete.

E' noto l'affetto, che travaglia il N. P. manifeſtandoſi una retenzione d'orina cagionata da materie mucoſe: onde l'orina reſta torbida con ſedimento mucoſo, alle volte farinaceo, e ſpeſſo con arena, e calcoli. Queſta retenzione d'orina probabilmente viene cauſata dalla materia mucoſa, che ſerra il meato, dell'orina: e perche ha in ſe parti ſaline acide, ed irritanti, quindi è, che vellicando le mem-

bra-

brane della veſcica, e le fibre nervee, ne ſegue finalmente una ſpezie di convulſione nel muſculo, e fibre della veſcica, onde è impedito l'eſito, e la libertà alla ſteſſa materia. Quale ſia la fonte della materia mucoſa, non è così facile da determinarſi. E' probabile, che in tutta la maſſa del ſangue abbondino parti acide, e ſaline; che slegate dalla naturale miſtura, e compoſizione del ſangue ſi rendano coſpicue, e moleſte alla natura: onde queſte trattenute nella cute nel circolare formano un Erpete, e parti d'eſſe riportate dalle vene, e dai vaſi linfatici nei vaſi grandi finalmente ſi meſcolano col ſiero dell'orina, e con i ſuoi ſali liſciviali traſmeſſe alla veſica ivi ſi quagliano in corpo mucoſo. Ma perche i mali della veſcica ſono aſſai aſtruſi, e i loro ſegni equivoci, come monſtrano l'eſperimento, e le ſezioni de' cadaveri, quindi è, che bene, e ſpeſſo ritrovandoſi qualche materia eſtranea, come pietra nella veſcica l'alimento della ſteſſa, ed il ſiero dell'orina ſi muta in ſoſtanza farinacea, e mucoſa, la quale non ſolo è cagione degli accidenti ſuddetti, ma è un prodromo di male più grave. Per tanto non ſi può certamente aſſerire, che i ſintomi dipendano dai ſoli inquinamenti portati dal tutto; ma biſogna eſplorare, ſe la parte contiene in ſe altra cagione, tanto più, che ſi oſſervano Calcoletti, e materia arenoſa.

Le Indicazioni ſono manifeſte, cioè di facilitare l'eſito all'orina, e di purificare la maſsa del ſangue dai ſali acidi, ed eroſivi, acciocchè nell'alimento, e negli eſcrementi non reſtino parti irritanti. Per queſto lodo l'uſo del vomito fatto con maniera piacevole ſenza antimoniali ogni XV. giorni. Mi piace ancora per divertire li ſuddetti ſali per il ſeceſſo il brodo praticato con la Sena, e Tartaro, il quale anche fuori dell' Autunno, e di Primavera ſi può pigliare doppo l'uſo degli occhi di granchi, e dello ſpirito di Sale armoniaco. Crederei, che poteſſe valerſi dei ſughi depurati della parietaria, malva, e Lapazio, prendendoli per un meſe almeno: e caſo non ſi poteſsero avere li predetti ſughi, prenderà un brodo alterato con malva, Agrimonia, e Lapazio, acciarendolo, e ſeco un bolo fatto con il terebinto, e qualche porzione di nitro purificato. Se la ſtagione non foſse tanto avvanzata, loderei le acque termali, che aveſsero la miniera del Vetrivolo, Nitro, e qualche porzione di Zolfo, perche dall'uſo di queſte ſi depurano tutti i fluidi, ſi detergono gli umori viſcidi, e le vie ſi rendon più libere. Fra il giorno prenderà qualche Cucchiaro di ſiroppo di Altea del Fernelio, meſcolandovi alcune goccie dello ſpirito di Sale,

le, o di Sale armoniaco. Potrà pigliare avanti cena in un poco di Conſerva di Viole, e di Fiori di Malva ℈ i. di Chriſtallo di monte preparato; ovvero la polvere degli occhi di granchio. Nel Vino, che prenderà a tavola ſi potranno eſtinguere alcune pietre focaje infocate, e vi ſi potrebbe ancor macerare qualche foglia di Aſſenzo. La regola del vivere è neceſſariſſima, e ſopra il tutto la cena ſia aſſai parca. Queſto è ciò, che poſſo motivare per l' intiera ſalute, o almeno per la diminuzione de' Sintomi nel N. P. rimettendomi ſempre alla prudenza di chi aſſiſte alla Cura.

CONSILIUM LXXVII.

Inveterata urinæ ſuppreſſio.

MOrbi, quibus viæ urinæ tentantur, adeo obſcuri ſunt, ut poſt diligentem etiam indaginem frequenter lateant; multiplices namque partes concurrunt pro urinæ ſeparatione, translatione, & retentione. Ratio quoque atoma Mechanica, qua ſeparatur urina, adhuc in obſcuro eſt, & nervorum ope contiguis viſceribus nectuntur renes, & veſica; & ad urinæ vias quandoque totius corporis inquinamenta detruduntur, quæ omnia in dignoſcendis morboſis affectionibus eorumque ſedibus æquivocationem inducunt. Illud tamen in caſu noſtro valde probabile videtur ex his, quæ habentur in docta Scheda, renes laborare; & horum vitio contumacem ſubſequi urinæ ſuppreſſionem. Veriſimile namque eſt, inquinamenta totius corporis, quæ per uteri vias olim eliminabantur, ſylveſtribus ſalibus, & vitriolatis particulis turgida glandularum renum minimis meatibus intercipi, & ſtagnare, unde urinæ ſeparatio impediri poteſt. An vero in concavitate renum, in pelvi ſcilicet, mucoſæ materiæ, vel tartareæ portio congeſta ſubſiſtat, dubitari poteſt, cum in excreta urina conſimilis materia contineatur. Ulterius ex interpolatis, & frequentibus inſultibus, dolore ſcilicet in ſitu renis ſiniſtri, cui ſuccedunt urina ſanguinis, & vomitus, deduci poteſt probabiliter, calculum latitare, cujus activitate, & decubitu interdum occluditur urinæ meatus, ita ut unus tantum non ſeparet, ut ex cadaverum aperitionibus manifeſtatur, & in his de facili ſuppreſſiones in altero rene excitentur. Ex hoc quoque perenni, & contumaci morboſa conſtitutione diuturnitate tem-

témporis veſica trahitur in conſenſum ; ita ut ſimul laboret: confluentibus namque acribus, & eroſivis particulis exaſpe- rantur veſicæ membranæ, & congeſtiones fiunt corporis ex- tranei. Vitiata itaque tam neceſſaria excrementorum eva- cuatione, tota ſanguinis maſſa inficitur, hinc parvus totus corporis calor, reliquaque ſymptomata enunciata. Juvant hanc affectionem vitium totius, ſcilicet crudorum, & aci- dorum humorum copia, qui vigente natura per laxos ute- ri meatus jam excernebantur: Mæror quoque animi, quo mediante convulſis nervis remorantur humores: unde remo- rato locali, & inteſtino ſanguinis motu, coctiones viſcerum debite non abſolvuntur, & excrementa non excernuntur; præcipue per tranſpirationem: quapropter nil mirum, ſi re- flua, ac tandem ad vias urinæ delata in renalibus glandulis intercipiantur, & lixivioſis ſalibus, aſſociata arenulas gi- gnant, & lentores, &c.

Medicæ Indicationes igitur ſunt tollendi obſtructiones; & fixationes, auferendique cruditates, & inquinamenta lu- xuriantia, ut inducta viarum libertate excrementorum ex- cretiones ex naturæ legibus ſuccedant. Ut his itaque ſatiſ- faciamus, curatio inſtitui poteſt. Leniatur itaque alvus flo- ribus Caſſiæ cum Conſerva malvæ, & conſimilibus. Deinde ex uſu ſit jus pullę, vel Columbæ ſylveſtris Chalyb., & al- teratum foliis urticæ, malvæ, pilloſellæ, hederæ terreſtris, marrubii, agrimoniæ, radicum gramin., & altheæ, quibus addantur gutt. aliquot ſpirit. ſalis armoniaci, hocque per menſem: deinde ſumat terebinthinam lotam aqua pa- rietar., cui ſuperbibat id juſculum, vel ſaltem jus altera- tum radice gram., & malvæ. Interdiu utatur ſpirit. ſalis, qui ſyrup. de altea, vel vino pridie a vaſe deprompto mi- ſceri poterit. His peractis pro tollendo totius vitio, & refer- mentanda humorum maſſa chalybeata convenient, tinctu- ra ſcilicet, vel ejus crocus aperitivus per longum tempus uſurpatus. Semicupia pariter utilia erunt facta in aqua, in qua decocta ſint ſimplicia emollientia, & rapæ. Interea in vino, quod in menſa paratur, extinguantur frequenter igniti ſilices fluminum friabiles, vel ſaltem infundatur Chalybis portio, aut hedera muralis, quæ etiam cum cibis coqui poteſt. Laudatur frequens uſus pulveris ocul. Cancr. cum cibo. Emulſiones quoq; ex amygd. dulci. in aqua malvę utiles erunt, & interdum fiant ex ſeminibus viol. rubr. in aqua Veronicę. Circa victus rationem uſus Columbor. ſylveſtri., & cancrorum opportunus erit. Ab- ſynthii ſale juſcula condiantur. Cęterū Corporis motus, & quies animi procuretur, nec cum viro cohabitet. Pauca hæc. F. D.

T CON-

CONSILIUM LXXVIII.

Pro Impotente ad Venerem.

IMpotentia ad Venerem, quæ in Nob. V. manifeſtatur, tam eleganter in docta Scheda exprimitur, ut ulteriore non opus fit expoſitione. Hæc itaque ex defectu erectionis penis ſuccedit in viro alioquin ſano, integris, & valentibus viſceribus, bonoque corporis habitu, ac in florente adhuc ætate. Qua ratione autem contingat, cum mechanica atoma muſculorum fabrica, & penis ipſius nos adhuc lateat, conjectura tantum aſſequi licet. Illud tamen videtur certum, in erecto pene præter tendinoſarum fibrarum tenſionem, quibus penis compaginatur, arterioſi Sanguinis copiam in fiſtuloſis ſinibus ſubſiſtere, & interceptam turgere contra niſum contractarum fibrarum. Quo autem artificio ſubſequatur, ignotum eſt. Plura ſiquidem imaginari poſſumus, qualia ſunt venæ revehentis anguſtia a nervo facta, copia volatilium particularum a fluido univerſali, a glandulis, & a proximo ſemine propagata, & conſimilia, quæ, an conſonent naturæ, adhuc incertum eſt. Quapropter hoc indubitatum videtur, penem in patiente noſtro quaſi paralyſi laborare, quæ probabiliter non vitio nervei ſucci, vel Sanguinis ſubſequitur, ſed vitiata minima penis ſtructura, qua utriuſque admiſſio impeditur: niſi dicere velimus, a radicibus penis ſuccum ſuſiaminantem particularum volatilium motum exſudare. Hoc itaque ſuppoſito, ſuccedunt indicationes, quæ a paralytica parte ut plurimum deſumuntur, firmandi ſcilicet partem, aperiendi minimos meatus tendinoſarum fibrarum, ut tonicus ſuccedat motus, & liber aditus univerſali fluido ſuccedat. Pro quibus aſſequendis localia præcipuum uſum habent. Laudatur igitur fotus in aquis ſulphuratis, vel in decocto ex aqua fabrorum alterata lavendula, rorismarino. Spiritus etiam vini Camphoratus, vel vinum alteratum exaratis ſimplicibus pro locali ſufficiant. Flagra antiquitus ex uſu erant, hinc nates etiam urticis cædi nunc poſſunt, deinde ſpiritu vin abluantur. Interius in pulmentis bulliat limatura C. C. C. veat ab acidis, & acerbis: interdum decocto gentianæ utatur, & Conſerva primulæ veris, cui

cui miſceat urticæ ſemina. Cæterum remedia impenſe calida, & volatilia ſuſpecta ſunt, nec expedit pro ſucceſſione curanda tranquillam corporis valetudinem dubiis remediis turbare. Exigua hæc indicabam in confirmationem eorum, quæ a D. V. proponuntur, eaque illius acri judicio ſubjiciebam. E. D. &c.

CONSILIUM LXXIX.

Venerea Lues cum contumaci Gonorrhæa, & melancholia hypochondriaca.

Multiplex eſt affectio, qua tentatur N. P. Poſt enim impurum concubitum elapſis annis Venerea Lue affectus eſt, emergentibus doloribus articularibus, & ſæva gonorrhæa, pro quibus tollendis ſumpſit ſpecifica. Extinctis doloribus remanſit gonorrhæa diminuta tamen, & mitigata. Melancholia quoque hypochondriaca laborat, cujus ſymptomata ſunt cordis palpitatio, acidæ Salivæ ingens proventus, dolores circa claviculam, & interdum læſa reſpiratio, accedente ſpontanea totius corporis laſſitudine. Hæc itaque in Sanguine labem indicant, qua mediante cordis laceroſæ fibræ vellicantur, & inordinate ad motum excitantur. Articulationes quoque coſtarum, quibus thoracis capacitas dilatatur, & anguſtatur iiſdem interceptis inquinamentis, læduntur, unde externus dolor, & quandoque vitiata reſpiratio. Muſculi pariter, & reliquæ partes, quæ tonico, & tenſivo motu corpori robur communicant ichoribus hujuſmodi, non parum enervantur; & tantum colliquata Sanguineæ maſſæ ſeroſa colluvies, per Salivales glandulas in os ſecernitur. His acceſſit ex cauſa externa lues Venerea, qua acidioribus redditis humoribus fluxiones excitatæ ſunt, & ſeminalis materia eroſivam vim nacta contingentes folliculos laceravit, unde dubitari poteſt, ſicut in aliis accidit, an ex diuturnitate morbi ulcuſcula excitata ſint, quæ ablato etiam morboſo charactere perennare ſolent, nec arte tolli poſſunt.

Ex his itaque, quæ adhuc permanent, eliciendæ ſunt indicationes; nam ſeminalia vaſa firmanda, ablata virulentia, inquinamenta quoque acida in tota ſanguinis maſſa exaltata abſumenda veniunt, & irritationes avertendæ. Ut his ſatis-

 fiat,

fiat, conſulo pro tollenda Gonorrhæa, & reliqua Lue, ſi quid ſuperſit, uſum pilular:, quæ moderate ſolvunt ventrem, & ſalibus volatilibus, & conſolidantibus componuntur. Primo itaque ſto. Caſſ. ℥i. s. aſſumat, & quinque ſubſequentibus diebus ſerum Vaccinum potabit ad Boc. i., quibus, per tres dies ſummo mane uſurpabit juſculum pullæ, in quo ebullierint fol. plantag., pariet., & hord. deinde alternis diebus unam ex propoſitis pilulis, & die intermedia ſupradictum juſculum potabit. Terminato pilularum uſu per XX. dies ſerum Caprile depura. ex uſu ſit, vel ejus loco jus pullæ alteratum fol. meliſſ., borag., Viola., malvæ, & Cichor.; cui poſt decem dies guttas viii. tinctur. chalybis addat; hocque remedium per menſem ſaltem uſurpabitur. Interea, ſi recrudeſcente ejus intemperie, ac adminiſtratis propoſitis remediis incaſſum, dolores articulares ſævirent, uſus ſalſæ parillæ conveniret, facta infuſione per noctem in Sero Vaccino deſtillato, ad dendo raſur. C. C., & hord. mundatum, ſaltem per menſem. Quin etiam tunc Vindemiarum occaſione parari poterit vinum Salſaparilla, & medulla Ligni Sancti, quo ſi opus erit, hyeme utatur. Cum quo gelatinam C. C. interdiu aſſumat, ſicut & raſuram Matris perlarum. Circa localia utiles erunt injectiones per penem factæ aqua ferrata, in qua bullierint fol. plantag., conſolid., perforat., & ſimilium. Pauca hæc, &c. F. D. &c.

CONSILIUM LXXX.

Paucitas Urinæ poſt contractam Gonorrhæam.

Laborat diverſis morboſis affectionibus I. V. Poſt contractam enim virulentam Gonorrhæam hypochondriaca affectione cum ventriculi aciditate, hypochondriorum æſtu, & rugitibus tentatus eſt, ac emerſere interea crurum dolores, & ſcotomiæ, a quibus cordis palpitationes. His ſedatis crurum tumor manifeſtatus eſt, nunc auctus, nunc diminutus juxta aeris viciſſitudines, cui comites ſucceſſere imi ventris viſcerum obſtructio, & in contractione dolor, quæ adhibitis Medicis præſidiis evanuere, ſpirandi difficultate ſuborta in aſſenſu præcipue, cum levi tuſſi. Nunc vero ſedata omnia videntur, ſolaque urinarum paucitas, facta compara-

tione cum his, quæ alias copioſe fluebant; ſollicitum reddit I. P. Conſtat igitur ex dictis, a cumulatis ſylveſtribus, acidiſque ſalibus in hypochondriis labefactatam fuiſſe primam co-ctionem, ſimulque irritatis membranis, & nervorum finibus, periſtalticum motum inteſtinorum turbatum fuiſſe, unde æſtus, & rugitus ſubſecuti ſunt. Chylus autem iiſdem in-quinamentis ſaturatus propriam labem ſanguini communicavit, qui in cor delatus ipſius lacertos lacerando palpitationem excitavit, & in caput introductus membranas vellicando ſcotomiam manifeſtavit, tandem per ambitum Corporis circulatione motus edæmatoſum tumorem excitavit. Etenim immixti Sales, & crudæ particulæ non debita volatilitate, & fluiditate gaudentes de facili in externis artubus interceptæ ſunt, juvante labefactato fibrarum tono, quibus venæ ambiuntur, & vaſa, & præcipue enervata aeris ſpirali compreſſione. Viſcera quoque, præſertim hepar conſenſere, dum a tranſeuntibus ſalibus folliculorum pori iiſdem Salibus oppilati, ſanguinis circulationem retardando, congeſtionem effecere, a qua tumor renixus. Poſtremo recurrentes mediis venis intercepti jam morboſi ichores in pedibus, & in pulmones tranſducti membranarum, quibus compaginantur, porulis excepti, eaſdem graviores reddendo reſpirandi difficultatem, tuſſimque produxere. Et licet nulla, Deo favente, operationum læſio nunc manifeſtetur, quoniam tamen in progreſſu ætatis ſenſim viſcerum fermenta enervantur, fluida aceſcunt diſſipatis volatilibus particulis, & acres ſales ſoluta mixtione pedetentim exaltantur, congeſtioneſque fiunt, vel in viſcerum loculis, & porulis; vel inter circulandum in corporis ambitu intercipiuntur: ideo in N. P. dubitari poteſt, an ſuccedente cruditate in coctionibus iterum ichorum collectiones fiant, quæ, niſi vigente natura, ad ambitum, & extrema corporis detrudantur, in viſceribus ſubſiſtant, & præcipue in pulmone ob laxam ipſius ſubſtantiam. Ideo præſervativa curatio exigitur, qua ſcilicet coctiones promoveantur, & ſales, ipſi ſylveſtres per vias præcipue urinæ ſenſim deriventur, quapropter opportunam cenſeo blandam quandam curationem. Pro lenienda igitur alvo frequens fit uſus ſyrupi Cichor. cum Rhabar., vel tartari, & interdum maſticet ℥ i. Rhabarbari electi. Alterantium loco uſurpet per longum tempus juſculum Chalybeatum alteratum cichoreo ſylveſtr., ab-ſynth. roma., & radic. altheæ, cum quo aſſumat ocul. cancror., ſal. abſynth. ℈ 5: In recurrente difficultate reſpirationis, loco oculor. Cancror., & Salis prædict., addat ſupradicto juſculo ſpirit. ſalis dulcific., aut pilul. de terebinth. ſæ-

ſæpius lota; a quo tempore etiam utatur rotulis paratis ſemi. altheæ, flor. ſulphur., ſale abſynth., & ſaccha. candit.. Vinum alterari poterit levi., & brevi infuſione abſynth., amara namque coctiones juvant, viſcera firmant, præcipue abdomini, ſylveſtres ſales obtundunt, & ichores ad vias urinæ deducunt. Hinc pro juvanda prima coctione, & diſſipandis acidis uſus conveniet Caphè duobus horis a cibo; juvabit pariter eſus cæparum coctarum hortenſium. Cum cibo aſſumat oculos Cancro. in hebdomada ad ℈ i., vel ſaltem gra. viii. nitri purifica. fugiat crapulam, & quærat ciborum ſimplicitatem, abſtinendo a varietate, & condimentis acidis, piperatis, & impenſe ſalſis, ſoloque croco in cibis utatur. Hilare vivat, & in aere libero, & aperto, & extra civitatem exerceatur. Pauca hæc habebam pro ſalute N. V., eaque D. M. prudentiæ, judicioque ſubjiciebam. Faxit Deus.

CONSILIUM LXXXI.

Gallica Lues contumaciſſima.

EX his, quæ exarantur in accuratiſſima Schedâ patet I. P. Gallica lue laborare, quæ contumaci ſcabie, tumoribus, dolore Iſchiatico, gonorrhæa, erratica contumacique febre, ſudore nocturno, vigilia, ventriculi languore, & conſimilibus ſyptomatibus ſæpius recurrentibus maniſeſtata eſt. Morboſa hæc affectio communicata ab externo virulento fermento ortum trahit, unde corporis fluida, & præcipue glandularum ſucci, & ſpeciatim lympha inquinata acorem concipiunt. Hæc itaque Sanguini mixta, circulatione media, arcta cutis compage intercepta puſtulas primo excitavit; reflua vero, & circa caput fixata laceſſendo membranarum filamenta perpetuam tenſionem peperere, a qua impedita fibrarum cerebri laxitate, & ſpirituum quiete, inductoque fortaſſe in ſtructura vitio, vigilia perpetuata eſt. Eadem pariter cauſa languor ventriculi ſubſecutus eſt, dum vitiato fibrarum carnearum tono, quibus ventriculus ambitur, & roboratur, & enervato ſucco, quo medio attritio cibariorum perficitur, & appetitus excitatur, prima coctio labefactata eſt. Dolor quoque Iſchiaticus, facta congeſtione, & intercee-

terceptione acidarum particularum in perioſtiis, & articulationibus contumax viguit. Febris tandem ſubſecuta eſt, ſtagnantibus in Sanguine inquinamentis, a quibus excitata ex diverſorum ſalium mixtura media improportionata fermentatione calor febrilis ſuſcitatus eſt. Unde facta in ſomno præcipitatione, & detentis ad glandulas miliares cutis exaltatis particulis, & ichoribus, copioſus ſudor erupit. Hæc virulenta radix ſpecificis remediis ſudatoriis, & mercurio ipſo ſæpe oppugnata adhuc etiam viget; & nunc vires ſuas circa caput perpetuo exerit; inducendo vigilias; & ſomnum, ſi quando contingat, turbatum, & irrequietum reddendo, ſimulque erraticas ſuſcitando febres, non ſolum vitiato inteſtino humorum motu, verum etiam inducta nervorum irritatione, unde diverſorum viſcerum læſiones febriles acceſſiones anticipare ſolent.

Quapropter indicationes ſunt, quæ alias a D. D. V. V. elicitæ ſunt, extinguendi videlicet characterem virulentum in fluidis, eum diſſipando per ſudoris vias, aliaque congrua emunctoria, ut fluidior, & dulcior reddita ſanguinis maſsa felicius circuletur, irritationes, & fermentationes improportionatæ tollantur, fermenta viſcerum, & glandularum defæcatoria ſeparentur, &, ut uno verbo, tota corporis œconomia inſtauretur, & ſtabiliatur. Quibus indicationibus ſatisfacere difficile eſt, cum jam artis validiora remedia fruſtrato fine adminiſtrata ſint. Ne igitur N. E. ex toto deſtituatur, & ut accidentia, prout fieri poteſt, miteſcant, quædam proponam. Et primo occurrit dictum Doctiſſimi Sydenham in Epiſtola de lue venerea: dum de confirmatæ hujus affectionis curatione verba facit, hæc habentur. *Alia omnino porta quærenda eſt, & duriori huic nodo cuneus itidem durior eſt adhibendus, quandoquidem nullum adhuc experimentum, quod ſciam, deferri poſſit extirpati hujus morbi, niſi per ſalivationem ab hydrargyrio excitatam, quidquid tam Recentiorum nonnulli, quam indoctorum de aliis ſanandi modis ſatis temere, & audacter effutiverint*. Hoc tamen non obſtante non audeo tam vehemens remedium proponere ob febrem, aliaque ſymptomata, quæ urgent, ſed tutiori methodo incedens quædam licet vulgaria, ſecura tamen, & opportuna indicabo. Blanda igitur fiat primarum viarum expiatio, non ſcammoneatis, ſed lenientibus ex ſena, melle roſat., & ſimilibus: deinde per X. dies aſsumat juſculum alteratum iva arthetica, radice pentaphyl. fumoterra, & ſoncho. Hoc peracto, utatur ſaltem per geminum menſem hoc decocto. ℞. antimo. crudi, Pumicis crudi, Lentiſci præparati, ſalſæ paril.

præ-

præparatæ ad ℥ iv. Infundantur per diem integrum in lib. XL. aquæ fontis, ita ut antimo., & pumex in nodulo incluſa ſuſpenſa in fluido maneant ; bulliant parum ad tertiam , & colentur pro uſu. Doſis ad minus ℥ vi., ter in die potetur, vel ſaltem bis; ſcilicet tribus horis ante prandium , tribus horis a prandio , & hora ſomni ; Ingredientia deſcripti decocti iterum in lib. XL. aquæ infundi poterunt facta decoctione ultra tertiam , & fiat aqua pro potu in menſa . At ſi expoſitum remedium non arrideat , ſequens ex uſu eſſe poterit , quod frequenter etiam poſt uſum Mercurii , ſudatorii , & ſimilium incaſſum adminiſtratorum opem tulit . ♃. Antimo. crud. craſſiuſcule contuſi ℥ iv. , ſalſæ parillæ præpara. , putaminum nucum a. ℥ iii. . Infundat per diem integrum ſuper cineres calidos in aquæ fontis lib. viii. lento igne coquantur ad tertiam, & ter in die exhiberi poterit , ut ſuperius innui , & ſecunda etiam aqua parari poterit pro menſa . Hocque ex uſu ſit per menſem . Illud tamen neceſſarium eſt ; niſi diarrhæa urgeat , ut vel ſexto , vel ſeptimo die ſolvatur alvus. Quapropter ʒ ii. ſenæ cum ʒ i. liquiritiæ infundi poterunt S. A. in una doſi exarati decocti . His peractis , ſi urgeat exarata febris , uſurpabit pulverem chinæ chinæ per menſem , exhibendo ℈.i. alternis diebus in juſculo alterato aliquo vegetabili alchalico . Saliat ſale abſynth. juſcula , & carnes , quæ ſint facilis coctionis , & ut plurimum aſſæ , & caveat ab acribus cibariis . Pro humectando pariter corpore exhiberi poterit per æſtatem Serum capril. colatum . Caveat ab acidis ; & impenſe ſalſis cibis , & parca ſit cœna . Pauca hæc habebam, &c. F. D.

CONSILIUM LXXXII.

Suppreſſione de' Meſtrui con Carattere Celtico.

GLi accidenti, che s' oſſervano nella Signora P. ſono prodotti, come viene ottimamente accennato , da una copia di Sali agri, ed eroſivi, che hanno il Carattere di Lue Gallica comunicatale , onde reſta morboſa la linfa , e gli fluidi delle glandule , e ſpecialmente dell' utero , e ne ſuccedono leſioni con iſconcerto di tutta l' economia ; atteſochè dal corpo dell' utero in vece del benigno liquore , che

di

di continuo ſtilla nella ſua cavità, e vagina per umettarlo, e renderlo diſpoſto alla fecondità, ſgorga in copia un' icore rodente, e corrotto, che alle volte ha eſcoriato la parte, e le glandule anco adiacenti all' utero, che nello ſtato della natura ſolamente, evacuavano nel concubito un' umor lento, per trattenere le parti attive, e volatili del ricevuto ſeme maſchile, ora contaminate gittano un' umor acre, e morboſo. Il Sangue poi portato all' utero invece di fermentarſi, e purgarſi a ſuo tempo reſta iſporcato, ed in parte fiſſato, onde mancano i menſtrui. Queſto poi riportato mediante le vene al centro del Corpo irritando i precordj, ed eccitando una fermentazione improportionata cagiona la febre, e deponendo alcune ſue parti nel fegato, e nelle carni produce dolori, e tenſioni. Da queſta ſteſſa fonte naſcono i dolori del Capo, l' evaporazioni, e l' inappetenza, poichè i nervi irritati dagl' iſteſſi Sali roditorj coſtringono i vaſi, ed i follicoli delle glandule, d' onde ne ſuccedono fiſſazioni, e turbazioni con ſeparazione dei fermenti particolari; infine eſſendo le parti volatili, e ſulfuree depreſſe per l' eſaltazione de' Sali acidi, la maſſa del Sangue, gli umori ſecondarj, ed i fermenti particolari delle glandule reſtano morboſi, o almeno ſnervati.

Sicchè le Indicazioni ſaranno, di reſtituire agli umori la ſua craſi, levando il carattere Celtico, di procurare le ſolite evacuazioni, e la naturale libertà nelle vie, e di corroborare le viſcere. E perche un' altra volta fu ſoddisfatto a queſte indicazioni con profitto, ſeguitando la ragione, e l' eſperienza, ſi potranno praticare i già ſeguitati rimedi, o analoghi ad eſſi. E però doppo il diſtillato, che di preſente prende, conſiglierei il ſiero Caprino colato con aggiugnervi la tintura d' acciajo fatta ſenza acidi, ovvero in vece di queſta gra. viii. di limatura di acciajo reſa impalpabile, facendone un bolo con ℈ i. di ſugo concreto di Aſſenzo, e queſto per XX. giorni. Dopò di ciò praticherei il ſeguente Decotto. ℞. Salſę parillę prep. ℥ iv. s., ligni Saſafra. cum cort. ℥ 5. M. infund. per noctem in lib. iv. aqu. Nocerę. Mane bulliant ad medietatem: in fine ebullitionis adde fol. cichor. borag., & plantag. a. pug. 1. lima. C. C. Liquer. raſę a. ℥ ii. Completa ebullitione coletur pro iiii. ſyrup. Si potrà far ſolutivo ogni ſeſto giorno il ſuddetto decotto, cioè una parte ſola, con aggiugnervi ℥ ii. di ſena con un poco di Cannella da infondervi dentro la notte. Queſto, ſe verrà tollerato, ſi doverà pigliare per giorni XL. Si dovrà pur fare una ſeconda acqua con i ſuddetti legni, e poche paſſole,

V e be-

e beverla invece di vino, o almeno per temprare il vino: e perche queſto male è contagioſo, e per nuova miſtura ſi regenera, quindi è, che volendo convivere col ſuo conſorte, è neceſſario, che anch' eſſo ſi curi, levando il carattere morboſo: e perciò crederei, che poteſſe ancor lui ſervirſi dell' infraſcritto decotto. ℞. antimo. crud. contuſ. craſſiuſculè, & nodulo incluſi ℥ iv. Salſę paril. prep., putami. nucum pulveri. a. ℥ iii. Infund. per horas xxiv. in lib. viii. aquę fontis ſuper cinerar. calid., deinde coq. lento igne ad tertiam. Doſis ℥ vi. ter in die exhibeatur, ſummo ſcilicet mane, tribus horis ante prandium, & ante ſomnum, e lo dovrà pigliare un meſe. Caſo poi, preſo il Decotto, che reſtaſſe qualche veſtigio di gonorrea, prenderà certe pillole, che ſi diſpenſano in Bologna alla Spezieria del Sole in Galliera, le quali ſi prendono *alternis diebus*, e ſolvono un poco il corpo, e ne' giorni intercalari piglierà una tazza di brodo alterato con la piantaggine, perforata, e meliſſa, e di dette pillole ne prenda una il giorno. Circa la regola del vivere ſi guardino ambedue dagli acidi, dalle coſe auſtere, e troppo ſalſe, ſervendoſi di cibi ſemplici ſenza condimenti, e di facile cozione. Mi rimetto però ſempre alla prudenza di chi regge la cura, &c.

CONSILIUM LXXXIII.

Suppreſſio Menſium.

Medicæ artis exiſtentiam comprobaturus Hippocrates hæc libro de arte habebat, Vir Præclariſſime: *Medici namque ſana mente, ſanoque corpore rem aggredientes præſentia conſiderant, & de præteritis ſimiliter juxta præſentia ratiocinantur, in tantum etiam, ut aliquando palam gloriari ſoleant ægri, ſe illorum opera ſanitati reſtitutos eſſe.* Cum igitur languida mens, parumque ſana .... evulgata contra me publico amicorum tuorum judicio, credendum ſit ..... mihi inſit quoque infirmum corpus, & contumacibus affectionibus morboſis aſſidue vexer, licet præſentia, & præterita maturè conſiderem, nequeo tamen mihi ſuadere, ægros mihi commiſſos priſtinæ ſanitati reſtitutos. Quapropter inſir-

infirmam, dubiamque aperte fateri cogor meam in arte peritiam, quam præ reliquis eximiam fumma tua humanitas, Vir Præclariſſime, deprædicat. Ut autem meæ tenuitatis, qualiacumque ſint, J. & N. P. officia preſtem, pauca in confirmationem ante propoſitorum habebo. Quæ igitur in Doctiſſima Scheda exarantur circa morbum, ejuſque generationem, tam eleganter, & docte exponuntur, ut ulteriori non opus fit aggreſſione, & indagine. Præcipua accidentia, quæ in N. P. occurrunt, ſunt ſuppreſſio menſium ab ultimo partu, pedum tumor: ſenſus quidam dolorificus interdum manifeſtatur ad ſitum uteri, cui conſentiunt lumbi, & capitis dextera pars. His additur, poſt æquinoctium ineunte hyeme, febris lenta ad modum quotidianæ diu durans, nulla ſubſequente exinde ſenſibili excretione. Dum utero geſſit, pejus ſeſe habuit, uteri hydrope laboravit, qui copioſa ſeroſæ materiæ excretione ſedatus eſt. Filii tandem in tenella adhuc ætate ſcorbuto tentati ſunt. Ex his igitur conjectare licet, fluida totius corporis ex ichorum præternaturalium copia inquinata eſſe, ita ut impedita volatilizatione, & ſucceſſiva tranſpiratione, ſanguinis maſſa ſalibus acidis, & ſylveſtribus turgida vario motu, & congeſtione exarata manifeſtet ſymptomata: urgente namque hyemis activitate non ſolum impeditur tranſpiratio nativa, verum etiam ſales acidi ab aere eidem communicantur, unde humores his ſaturati varia ſalium mixtura fermentantur, hinc irritationes præcordiorum, & ſucceſſive febris. Eadem etiam de cauſa laborat utero gerens; portio namque nutritiva, & volatilis in compagem, & augmentum fetus abſumitur, unde relicti, refluique ab utero humores, velut caput mortuum, reliquo corpori labem inferunt. Uterus pariter horum congeſtione in propria ſtructura, & tono labefactatus eſt: nam enervato fibrarum carnearum tono, & vitiata minima ſtructura, qua excretiones celebrantur, inſignem olim paſſus eſt ſeroſæ colluviei congeſtionem, & modo nativam non celebrat evacuationem, & fortaſſe ipſius ſtructura vitiatur: hinc retentis vellicantibus ſalibus nervorum fines irritantur, & dolor capitis, & calor inde manifeſtatur. Habitus quoque externus corporis, pedeſque coatticiuntur: nam cum paucis polleant muſculis, labefactato periſtaltico motu fibrarum, quibus vaſa, & partes componuntur, propulſus Sanguis ab arteriis in partes, pari felicitate non exprimitur in continuatas venas, unde tumor. Cauſa hujus morboſæ colluviei in aciditatem lymphæ probabiliter reſolvi poteſt. Subminiſtratur autem hæc a glandulis minimis per univer-

 ſum.

ſum corpus diſperſis, & una cum Chylo ſanguini affundi-tur in pulmonibus, ubi cum non omnia intime ſubagiten-tur, & particulis aeris miſceantur, & volatilizentur, ſuam energiam conſervant commixti ſales acidi; qui tamen non adhuc concretionem in proprio principio, hoc eſt in glan-dularum loculis manifeſtarunt, cum potius colliquando ope-rentur; hinc in genitis infantibus acredinem adepti eroſio-nem, reliquaque accidentia ſcorbuti peperere. Huic cauſæ forte addi poteſt bilis, & ſucci pancreatici languor: horum enim, & præcipue bilis ſales non debite atterunt chyli par-ticulas, nec carnis compagem, & adaptationem immutant; Quapropter acidus Chylus Sanguini affunditur.

Ex his itaque manifeſtæ occurrunt indicationes depurandi fluida ab exaratis inquinamentis, tollendi congeſtiones, ju-vandi nativas excretiones, & firmandi fermenta viſcerum, & glandularum, ne novus ſuccedat morbus. Quibus ſatisface-re difficile eſt ob labefactatam œconomiam, & glandularum vitium, cui comes fit etiam organicus morbus. His adden-dum contrarias eſſe indicationes; Sanguinis enim compages ne plus juſto colliquetur, remedia exigeret, quæ ab evacua-tionibus naturalibus promovendis non omnino admittun-tur. Ut igitur Nobiliſſimæ ægrotanti opem aliquam fera-mus, curatio inſtituenda erit. Pro alvi itaque lenitione re-petitus tartari uſus in jure ſufficiet, vel blanda fol. ſenæ in-fuſio in aqua fumariæ. Alterantis loco arridet juſculum pul-læ Chalyb. alth. foliis, Cherefolii; Marrub., radic. grami., & ſimil., cum quo aſſumat ſyrup. de Althea, additis guttis aliquot ſpiritus ſalis armoniaci, hiſque utatur X. diebus: quibus tranſactis, loco exarati ſyrupi, aſſumat cum expoſi-to jure alterato ℈ i. Croci Martis aperiti., cui miſceat gut-tas aliquas olei ſulphuris, & ex uſu ſit per menſem, deinde uſurpet XXXX. diebus antimon. diapho. cum jure alterato foliis abſynthii. Interdiu utatur tabellis paratis pulvere ra-ſuræ eboris, matris perlarum. C. C. uſto, ocul. Cancro. ad-ditis guttis aliquot ſpiritus ſalis armoniaci, ſacch., & aqu. viola. Vinum non ſit dulce, nec acidum; & alteretur in-fuſione Chalyb. & fol. Abſynth. Romani, vel horum loco extinguantur in ipſo lapides igniarii candentes. Abſynthii ſale condiat juſcula, & carnes, & ſi hyeme conſuetæ ur-geant febres, pro vigorando etiam ſanguine ex uſu ſit Cor-tex peruvianus ad ℈ i. ſingulo mane cum juſculo alterato foliis Meliſ. & Tarax. Acida auſtera; & ſaccharata ſunt ſu-ſpecta. Carnibus facilis coctionis, aſſis præcipue, utatur, & locali motu exerceatur. Pauca hæc pro confirmatione a te

V. E.

V. E. propoſitorum habebam, quæ benigne excipias velim, dum me tam addictiſſimum profiteor, &c.

CONSILIUM LXXXIV.

Suppreſſio Menſium.

Religioſiſſimæ Monialis turbatam corporis œconomiam abunde demonſtrant varia multipliciaque ſymptomata in Doctiſſima Scheda exarata. Veroſimile enim eſt, ex mutato ſolo, & ambiente, ſuccedente aere minus eventilato labefactatam primo fuiſſe tranſpirationem, communicatiſque ſylveſtribus ſalibus, ſanguinis maſſam acidis particulis ſaturatam redditam fuiſſe; unde paulatim impedita nativa fermentatione, & humorum volatilizatione, ſanguinis maſſa per vias uteri non repurgata eſt, nec ſecundum naturæ leges hinc imminuta ſtagnando acidior effecta eſt, & refluendo labem auxit, a qua irritati etiam nervi anguſtando, & diſtorquendo vaſa vaporum ad caput aſcendentium ſpecies, caloremque totius induxere. Eadem etiam de cauſa ſalivæ proventus ſucceſſit: nam ex commixtis ſalibus rodens reddita alveolos dentium, & oris partes labefactavit. Invaleſcente tandem ſanguinis cruditate, cordis palpitatio manifeſtata eſt, poſtremo media circulatione, facta interceptione in articulorum anguſtiis, congeſtiones apparuerunt, quæ, cum tranſpiratione non diſſipentur, vel copioſiore ſuccedente urina non tollantur, irritando, & ſolvendo dolorem inferunt. His igitur ſtantibus, cum non liceat in nativum ſolum redire, producta amovenda ſunt prout arti permittitur.

Inſtituta curatione, & ſumpta indicatione ab iis, quæ, prudenter alias adminiſtrata ſunt, poſt blandam ventris lenitionem factam tartaro vel Caſſia, aut pilul. de Succino Cratonis, opportunos cenſeo ſuccos depuratos Cichor. Borag., abſynth., & ivæ arthetic., vel ſaltem juſculum chalybeatum alteratum exaratis ſimplicibus, cum quo aſſumat ſalem abſynthii XV. diebus; deinde pro refermentando ſanguine, & reſerandis viis in uſu ſit Crocum martis aperitivum, cui ſuperbibat jus parvæ pullæ chalyb. alteratum ci-

cho-

chore. & abſynth. , vel hujus loco uſurpet aquam Fabro-rum, in qua ferrum candens extinguunt, & in hac bulliant ſimplicia alKalica, abſynth. ſcilicet romanum, Cherefolium, & matricaria, deinde julebizentur, & his utatur per menſem. His expletis, ſi opus ſit, potet ſpiritum ſalis dulcif. cum juſculo alterato radice gram. , & altheæ. Tandem opportuna ſuccedente vinorum præparatione, alteretur vinum novum ligno Cydoniorum, & Santal. rubr. Frequenter aſſumat cum cibo gelat. C. C., vel raſuram Matris Perlarum ; & oculo. Cancro., & abſynth. Romani. Parce cœnet, & locali motu, quantum permittitur, exerceatur. Pauca hæc habebam pro ſalute R. M. Faxit Deus, &c.

CONSILIUM LXXXV.

Imminuta Menſium excretio, febris lenta, fœdus color, & interdum labefactata viſio, &c.

Multiplicia ſymptomata, quæ in R. M. obſervantur, ſunt lenta quædam febris, imminuta menſium excretio, fædus corporis color, & interdum labefacta-ta viſio. Præceſſere autem Menſium ſuppreſſio, & febris acu-ta cum dolore capitis ingenti, & exinde ſublata eſt per XII. dies videndi actio. Hæc probabiliter ortum trahunt a recrementis in ſanguine luxuriantibus, quibus uteri viæ ſta-to tempore obſtruuntur, ita ut impedita menſtruorum ex-cretione, tota humorum maſſa ex refluis humoribus ulterio-rem aciditatem contrahentibus inficiatur. Hinc facta im-proportionata fermentatione, & viſcerum irritatione, lenta quædam ſuccedit febris, quæ ex humorum acrimonia, & copia acorem contrahit. Facta tamen tranſpoſitione materiæ in Cerebro, & fortaſſe in thalamis opticorum, ubi externe ad retinam appulſæ motiones poſtremo manifeſtantur, & vi-dendi actus elicitur, viſus ſublatus eſt, donec diſcuſſo hu-juſmodi ichore, reſtituta tenſione, & viarum libertate exara-tis fibris, & corporibus iterum tenſis manifeſtari cæpit. Pe-rennat autem fædus color, & corporis macies, quia febris diſſipat humores, coctiones turbat, & abundantes acidi, eroſivique humores abradunt circulatione media a partibus,

&c vo-

& volatilizationem impediunt ; unde cum rubicundo flore ſanguis non ditetur , conſequenter ad anguſtos cutis meatus non pervenit . Foventur hæc omnia a nativa partium arcta compage , a languidis viſcerum fermentis , & præcipue uteri , unde labefactata totius corporis œconomia coctiones, tranſpiratus, reliquæque actiones vitiantur.

Ex his itaque eliciuntur medicæ indicationes tollendi febrem, provocandi debitas excretiones , fluitando , & depurando ſanguinem , & prohibendo metaſtaſim peccantis materiæ in cerebrum , vel in alias nobiles partes . Pro quibus aſſequendis curatio inſtitui debet , & ut verum fatear , difficillimum eſt his ſatisfacere indicationibus . Humorum enim , & viſcerum vitia , volatilia remedia motu , & activitate pollentia indicarent , quibus libertas induceretur , & aciditas tolleretur. Quoniam tamen humores orgaſmum de facili concipiunt, & figuntur in nobilioribus partibus ; & nova producta promunt morbo ipſo ſæviora , ideo horum remediorum ſuſpectus videtur uſus ; quare ſumpta indicatione a cauſa, & ſymptomate præſidia uſurpanda erunt , quæ ſaltem non noceant . Quapropter conſulerem nunc uſum ſeri Capril. per XX. dies, quo detergerentur inquinamenta acida , viæ laxarentur , fluidiores redderentur humores , & febris ipſa miteſceret : cui addi poterit ſal abſynth. ℈ i. alias uſurpatus . Hoc peracto ad refermentandum ſanguinem , & ad abſumendas acidas particulas, & ne concepto majori motu fiat iterum metaſtaſis ad caput , uterer ſuccis concretis cichor., & abſynth. addito ℈ i. croci martis aperit. , cui ſuperbiberet jus pullæ alteratum fol. cichor. malv. & borag. & ex uſu erit hujuſmodi remedium per XXXX. dies . Circa cauterii aperitionem ambigerem ob nimiam corporis gracilitatem . Caveat interdum a medicamentis ſolventibus, & præcipue ab impenſe moventibus , & irritantibus , ne communicato impetu humoribus corpus ſicceſcat magis , & decubitus fiant . Idem quoque dicendum de remediis etiam ſpecificis , & roborantibus , quæ maxime abundant tenuibus , & volatilibus particulis , ſed blandis , & fluidos humores reddentibus procedendum videtur . Vinum paucum fit , & infuſ. chalyb. alterari poterit . Cum cibo gelatina cornu cervi utatur , vel ſaltem raſura Matris Perla. Victus ſit mediocris , humectans, & facilis coctionis.

CON-

CONSILIUM LXXXVI.

Fluor Albus.

FLuore albo, ſeu uteri catarrho laborat J. P. tribus ab hinc annis: Laxata igitur uteri ſubſtantia, & plus juſto hiantibus orificiis vaſorum excretoriorum, a quibus in naturæ ſtatu lympha in mediocri quantitate effluit pro uteri, & vaginæ humectatione, totius corporis inquinamenta profiliunt; unde ex mixtura partium erodentium interdum vagina, & pudendum afficiuntur. An ultra ſeroſitatem ab uteri concavitate emanantem a lateralibus glandulis, quæ vicem proſtatarum habent, aliquid ſubminiſtretur, dubitari poteſt, cum interdum excreta materia glutinoſa ſit, Terebinthinæ inſtar. Tota igitur Sanguinis maſſa corrigenda venit, & firmanda eſt uteri compages. Pro lenienda alvo uſurpari poteſt repetitis vicibus ſyrupus de Cichor. cum replicata infuſione Rhabar., vel infuſione ſenæ in aqua fumariæ. Pro alterante conveniet decoctum radicis ligni ſaſſafras cum cortice, fol. plantaginis, ſalviæ, & abſynthii: eoque ſaltem XX. diebus utatur; deinde aſſumat Terebinthinam lotam aqua menthæ; & ſuo tempore potet aquas Villenſes. Non ceſſante autem morboſo affectu, Autumno XXXX. diebus bibet lac vaccinum coctum cum quarta parte aquæ Plantaginis, vel ſaltem in ea extinguentur ſilices igniti. Vinum interea alteretur infuſione fol. meliſſ., & flor. roris mari. Interdiu aſſumat tabellas paratas ocul. cancro., ſuccino albo pp. C. C. uſto, & Terra ſigillata. Inſeſſus fiant in aqua Chalybeata, in qua bull. plant., perforata, fol. quer., & ſimilia. Ungantur lumbi ung. Comitiſſæ. Vitet acida, fructus horarios, legumina, & impenſe ſalſa. Pauca hæc curſim habebam pro ſalute P. P., eaque acri M. M. judicio ſubjiciebam, &c.

CONSILIUM LXXXVII.

Fluor Albus.

PRæcipua ſymptomata in J. P. hucuſque obſervata ; ſunt dolor circa umbilicum , & ilia , olim octavo menſe, gravidationis tempore , manifeſtatus ; Ex vehementi timore lochiorum diminutio , menſtruorum deinde inordinata eruptio , recurrente deinde ilii dolore bis in menſe ulcera in tibiis , & nigræ maculæ , apparentia, & ſponte evaneſcentia. Poſt menſium ſuppreſſionem ſanguinis eruptio interpolatis vicibus cum impetu . Tandem fluor albus , qui adhuc perennat cum ventriculi vellicatione , & flatuum copia, quæ aſſumpto cibo ſedantur . Ex his igitur patet J. P. tentari albo uteri fluore, vitio uteri, & totius corporis. Probabile namque eſt , octavo gravidationis menſe manifeſtato dolore ad Ilia, & in puerperiorum diminutione congeſtiones in utero factas fuiſſe , unde perturbata menſtruorum excretione modo irregulariter erupere revireſcente dolore, modo ſuppreſſa ſtagnarunt, & modo cum impetu interpolatim quotidie profiliebant, donec laxatis plus juſto uteri poris, & enervato fibrarum carnearum tono rheumatiſmus uterinus manifeſtatus eſt. Totius vero vitium probant ulcera, & maculæ in cruribus, quæ luxuriantes ſales acidos , & erodentes indicant , qui circulatione media in extimis partibus intercepti ſanguinem primo figunt, deinde continentes partes erodunt . Laborante igitur utero non ſolum proprio vitio , verum univerſi ſanguinis labe , nil mirum, ſi ab ipſo morboſi ichores perpetuo extillent . Tumor itaque ingens convulſis nervis corporis œconomiam non parum labefactavit , unde retardata circulatione, & diſſipatis volatilibus particulis , acidi ſales liberiores redditi ſanguinis craſim, & compagem immutarunt , & ſucceſſive minimam uteri ſtructuram.

Quapropter indicationes ſunt firmandi uteri ſtructuram , & tollendi vitium fluidorum . Horum gratia plura adminiſtrata ſunt præſidia , & quædam etiam tentanda indicabo . Pro alvi lenitione aſſumi poterit Ol. amygd. dulc. ex. abſque igne , aut Caſſia cum tamarindorum pulpa , vel frequenter ſyrup. de Cichor. cum rhabarba. Pro alteratione

convenient ſucci depur. fumar., plantag. ; conſolidæ, & caudæ equinæ ; quibus poſt X. dies addat Croci Martis gr. XX., & ex uſu ſint XX. diebus. Deinde potet decoct. ex Salſa Parilla, & ligno Saſſafras : & perennante albo fluore uſurpari poterit terebinth. julebiza. cum juſc. alt., plantag., & conſol. Tandem Autumno potari poterit lac vaccinum coctum cum ſexta parte aquæ plantag.. Interea interdiu aſſumat tabellas paratas ſuccino albo præp., raſura eboris, cancro., C. C. uſto, ſacchar. candit.. Fiant utero ſuffitus ex ſuccino, vel ex raſur. ebor.. Bulliat in pulmentis, & ferculis folia Salviæ. Poſt prandium potet Caphè. Motu locali exerceatur, & vitet acida, acria, piperata, & impenſe ſalſa. Pauca hæc indicabam, &c. F. D.

CONSILIUM LXXXVIII.

Affetto Iſterico con un tumore nella mammella ſiniſtra.

L'Affetto morboſo, che travaglia la S. P. è Iſterico accompagnato da varii ſintommi, e da un tumore profondo, e duro nella mammella ſiniſtra con un dolore, che ſi eſtende fino alla ſpalla. Queſto dipende da una irritazione, e convulſione de' nervi fatta da parti acide, che vellicando l' eſtremità de' nervi, e ſpecialmente del paro vago, turbano il moto del ſugo nerveo, e quaſi l' invertono, onde le fibre, che compongono i vaſi ſanguigni, e particolarmente le carnee, che li circondano, mutando la lor capacità, ed il loro ſito, turbano il moto del ſangue. Lo ſteſſo ſuccede nelle viſcere, e nelle glandule, poichè i loro follicoli compreſſi, e coſtretti dalla convulſione delle fibre, che gl' invertono, producono una evacuazione de' propri fluidi morboſa, e da queſta radice naſcono la fluſſione con quel ſenſo d' ardore nelle fauci, nell' eſofago, e nello ſtomaco, i vomiti, i ruggiti del ventre, la diarrea, le paſſioni di cuore, e ſomiglianti ſintommi. E perche que' Sali ſilveſtri, che cagionano la convulſione nei nervi, bene ſpeſſo eſaltati s' aumentano, e riſtagnano ne' vaſi, di qui ne naſce, che portati con la circolazione, non ſcorrendo con intiera felicità per

alcune

alcune parti, ivi fanno varie congeſtioni, e ſucceſſivamente radici di leſioni., come accade ſingolarmente negli articoli, nel collo, nelle ſpalle, nel petto, e nella mammella ſiniſtra, dove perdendo il moto porzione d'umori, reſta quagliata, e ferruminata da ſuddetti Sali, i quali col loro moto, e figura cagionano quel ſenſo d'ardore, e di dolore, che ſi eſtende nella ſpalla mediante la continuazione delle membrane. In alcune vene ancora della mammella non iſcorre con la dovuta celerità il Sangue, onde ſuccede la loro negrezza, e gonfiezza. Nel Cervello parimente ſi manifeſta lo ſteſſo ritardamento di moto ne' fluidi, dal quale naſcono la gravezza, la vertigine, e ſimili leſioni. Queſti ſintommi ſi rendono più gagliardi nelle gravidanze, perche la parte più volatile del Sangue viene conſumata nella generazione del feto, e ciò, che reſta, diviene più facilmente acido. Qual ſi ſia la cagione, che produce que' ſali, che rendono morboſi i fluidi, ed irritano i nervi, non è così facile da determinarſi. Forſe la traſpirazione non diſſipa abbaſtanza per le glandule della cute quei Sali, che riportati vellicano i nervi, e meſcolati co' fluidi ritardano il loro moto inteſtino, e locale.

Le indicazioni adunque ſono di levar la convulſione de'nervi, rendendo più dolci gli umori, di proccurare, che non ſi facciano nuovi riſtagni, e che gli umori ſiſſati nel tumore della mammella non divengano agri, & mordenti. Per ottener queſti fini ſaria neceſſario incamminare la cura, prendendo per Leniente l'Olio di Mandorle dolci fatto ſenza fuoco, il quale potrà anche uſarſi frequentemente la ſera per cibo; viene anco commendato l'uſo del Crem. di Tart. ſpeſſe volte preſo. Si potranno in oltre praticare i Serviziali fatti con l'Olio di Mand. dolci, Latte vaccino acciarito, e col brodo orzato. Per levar l'irritazione de'nervi ſarebbe utile il ſiero caprino colato preſo ogni mattina con un Cucchiajo di gelo di Corno di Cervo, ovvero con occhi di Granchio, e raſura di madre perla, e queſto per xii. giorni; e di più mi valerei del Latte di aſina preſo con l'antimonio diaforetico: e caſo che il latte non venga tollerato, ſi ſervirà d'un brodo alterato con la Meliſſa, prendendo ſeco il ſuddetto antimonio diaforetico. Col cibo prenderà le lattate di Mandorle dolci, e di ſemi di zucca fatte in aqua di Viole, e fra il giorno praticherà le tavolette fatte con la raſura di Madre perla, Corno di Cervo Calcinato, occhi di Granchio, e di Criſtallo di Monte preparato, zuccaro candito, ed acqua di Viole, ovvero coll' acqua iſterica del Quercetano, irrorandole

le con lo Spirito di Sal Armoniaco : Infonderà nel vino la meliſ., del quale ſe ne ſervirà parcamente. Queſto è quel poco, che in tanta anguſtia di tempo mi pare poter accennare in un male così contumace, e gagliardo.

CONSILIUM LXXXIX.

Affectio Hyſterica.

Ex his, quæ in tranſmiſſa ſcheda ab exaratis habentur, conjectari licet N. M. affectione hypochondriaca, & hyſterica laborare, quæ in mulieribus unum fere morbum conſtituunt, & ab iiſdem cauſis excitantur. Probabile enim eſt, nervum vagum viſcera, parteſque imi ventris percurrentem affectione quadam convulſiva tentari, unde intercepto nativo humorum motu in abdominis partibus, contractis carneis fibris, ventris tumor ad ſuperiora præcipue manifeſtatur. Retrahuntur autem, & convelluntur nervi, irritatis ipſorum finibus a ſubingredientibus ſalibus vitriolatis, ſummeque activis, unde appenſæ partes in conſenſum trahuntur, & ab interclufis humoribus attolluntur. Propagantur autem hæc acida inquinamenta a glandulis circa inteſtina locatis, quæ ſua fermenta enervata eructant, & ex mora acorem contrahunt: unde coctio primo vitiatur, & contiguæ partes mediis nervis compatiuntur. Chylus quoque iiſdem ſalibus turgidus ſanguini affuſus, dum cor ſubit, ſpaſmum inducit: quapropter debito rithmo ſanguis cordi non ſubminiſtratur, nec ab eodem in arterias protrahitur, unde palpitatio; quæ affectio quoque emergere poteſt a convulſo cordis nervo. Reliqua pariter ſymptomata, quæ circa caput, & ambitum Corporis manifeſtantur, non ſolum reſolvi poſſunt in varias morboſas fermentationes excitatas ab appulſis inquinamentis, verum etiam a nervorum affectione: nam contracti nervi vaſa anguſtare poſſunt, & ita immutare humorum motum, hinc varii ſenſus fluxionis, horroris, & evaporationis. Idem dicendum de turbato ſomno, aurium tinnitu, & conſimilibus: nam dum nerveus ſuccus inficitur, Cerebri fibræ, & appenſi aliqui nervi excitantur ad motum tremore inducto, unde convulſio ex ſomno, vigilium, & aurium affectio. An præter nervorum affectionem, & humorum

rum diatheſim, aliqua viſcera propria compage laborent, eſſet inquirendum. Quoniam tamen pauca eſt relatio medica, ideo ſola conjectura incedendum. Tumoris ſitus in ſuperiori abdominis regione ventriculi affectionem indicaret, & præcipue, cum de facili ſubvertatur. Accedit etiam ex perpetua, morboſaque nervorum contractione interceptis fluidis congeſtiones fieri, a quibus nativa compages vitiari poteſt. Uterus pariter probabiliter labem concepit ex abortibus, & poſtrema Secundinarum laborioſa excretione, copioſaque ſubſequenti hæmorrhagia, & contumacibus doloribus. In his enim ſtructura minima non parum immutatur, quæ præcurrente Sanguine particulis vitriolatis ſaturato morboſior reddi poteſt. Indicationes itaque manifeſtæ occurrunt, auferendi irritationem, & nervorum contractionem, tollendi congeſtionem, ſi quæ ſit, purificandi Sanguinem, & firmandi viſcera, eorumque fermenta. Pro quibus aſſequendis curationem proſequi expedit. Pro lenienda itaque alvo ſufficiat Oleum amygdal. dul. s. ig. extractum, quod frequenter potari poterit, etiam loco cœnæ, vel ſaltem clyſt. ex eod., aut ex decoct. ſimpl. emollientium, cum reliqua ſolventia irritationem augeant. Pro alteratione uſurpari poterit jus parvæ pullæ alteratum fol. Meliſſ. Borag. Buglo. Abſynth., & ſimil., in quibus præcipue vigent alcalicæ partes, & chalybeetur, cui addat gutt. aliquot ſpirit. Sal. armoni. ; vel cum eo aſſumat bol. parat. ocul. cancro. & raſur. Matriſperlar.. Hiſque utatur per XV. dies: deinde loco ſupradicti boli uſurpet Croc. Mart. aperit. cum alter. juſculo ſuperius expoſito, ſaltem per menſem. His peractis conveniet per longum tempus uſus antimon. diaph. cum juſculo alterato: fol. meliſ., & radicis grami.: Interea condiat juſcula ſale abſynth.. Infundat in vino, vel alio potulento fol. Meliſs. ante cibum, & interdum aſſumat emulſiones ex amygd. dulci. aqu. viol. paratas, vel bolum paratum cryſtallo montium præparato, Oculis cancr., & raſur. matriſperla.. Circa localia foveatur pars affecta decocto Meliſſ., vel folior. Ruttæ inciſæ cum toto ovo exagitatæ, & in ſartagine coctæ. At ſi tactu explorari poterit, & tumor ſtabilis in aliquo viſcere emergat, conveniet embroch. ex aqua fabr. alt., fol. malvæ, pariet., marrub., fœnugræci, radic. altheæ, gramin., & ſimilium, addito pauco ammoniaco, & aceto. Victus ratio ſit mediocris, parce vino utatur, viteтque aromata, acida, acria, & impenſe ſalſa..

CON-

CONSILIUM XC.

Sterilitas.

GEnerationem animalium pro mortalitatis reparatione inſtitutam a Deo obſcuram reddidit Divinus Plaſtes, ut cum Hippo. dicere poſſimus, *quæ quidem faciunt, neſciunt, quæ vero faciunt, ſcire ſibi videntur, & quæ quidem vident, non agnoſcunt, attamen omnia ipſis fiunt per Divinam neceſſitatem*. Hinc ſubortæ affectiones, quibus tollitur fæcunditas, alta egent indagine, & probabilia tantum nobis parare permittunt. Ex his tamen, quæ ab Hippo. 5. ...., & ex Neotericorum obſervationibus habentur, eluceſcit uterum, qui ager eſt, in quo ſtata ſemina vegetant, tali egere compage, temperie, & fluidorum motu, ut his vitiatis ſterilitas ſuccedat, ut in N. P. exprimitur, cujus uterus cum ſtato tempore menſtruis purgationibus non depuretur, valida tenſione non turget, ita ut exceptis maſculini ſeminis volatilibus particulis fæcundetur. Probabile enim eſt, in eo ex vitriolatis particulis non ſolum appulſum Sanguinem, ſed etiam tonicum fibrarum ejuſdem motum vitiari, unde fluentis Sanguinis menſtrui color æruginoſus, & imminuta etiam quantitas ſuccedant: cumque naturæ ordo exigat, ut maſculi ſemen in vaginam effuſum elabenti perpetuo ichori commiſceatur, ipſumque actuet, ac in ſui pene naturam immutet, ita ut continuata in uteri parietes actione, & exinde in totum corpus contenti humores refermententur, & ad motum excitentur, ac poſtremo facta ſenſim ab utero derivatione colliquamenti prolapſum per tubas muliebre ovum, veluti plantula alatur, foveatur, & tandem in fætum manifeſtetur; hinc eſt, quod in N. P. probabiliter paucus ab utero extillat humor, vel ſtyptica ſaltem pollet qualitate, qua mediante maſculini ſeminis volatiles particulæ figuntur, vel coercentur, & ita projectum Semen inefficax redditur, in uterum ſua activitate non agit, nec refermentat: qua de cauſa nil mirum, ſi nulla ſuccedat titillatio, tenſio pudendi; & delapſum quoque ovum defectu alimenti aceſcat. Fovent hanc affectionem melancholicus habitus, vita ſedentaria, ſomnus plus juſto longior, & mæror; his enim ſanguinis lo-

Ca-

calis motus tardior redditur ; & inteſtinus minuitur , unde & reſpiratio minus felix ſuccedit ; urinæ quoque copioſæ colliquantem aciditatem indicant, unde derivata per renes ſeroſa portio menſtruas quoque excretiones minuit , & uteri fluida minus ad motum prona efficit.

Indicationes itaque manifeſtæ occurrunt, depurandi Sanguinis maſſam , aliaque fluida volatilizandi , firmandique uterum , ut validiore reddito motu fibrarum , recepti maſculini feminis activitate fœcundetur . Pro quibus aſſequendis curatio proximo menſe inſtituatur , præmiſſo Leni. ex florib. Caſſ., pulpa Tamarind., vel tartaro , vel melle viol. Solut. Alterantium loco exhibeatur jus pullæ alteratum fol. abſynth., malvæ , capil. vener., & radic. grami., fæniculi, & ſimilium , quod extinctione Chalyb. parari poterit ; huic quoque addantur guttæ aliquot ſpir. Sal. armo. per X. dies : quibus tranſactis , horum loco , ſubminiſtretur tart. vitriola. , & horum remedii genere per XX. ſaltem dies utatur . Ex uſu deinde ſit Croc. Mart. aperit. , cui addi poſſunt guttæ aliquot Olei ſulphur., vel ſi præſto ſint pilulæ ex ſedimento vini , in quo diu infuſus ſit Chalybs : habent enim vim Chalyb. , & tartari : ac per longum tempus aſſumatur iſtud remedium . Interim aperiatur vena brachii eductis ℥ vii. Sanguinis. His peractis , urgente aeris calore , conveniet uſus Seri Capril. colati , in quo per noctem infuſa ſit abſynthii Romani coma: eoque utatur , donec opportunum occurrat tempus aquar. thermal. , ad quas confugere neceſſarium cenſeo : hinc conſulo , ut in agrum Lucenſem Villæ ſe conferat , ubi potus a nativo fonte , & inſeſſus efficacior eſt. Non addo Methodum. Opportune enim ibidem a Præclariſſimis Viris indicabitur , At ſi recuſet illuc ſe conferre, domi aſſumat eandem aquam Villenſem incipiendam ab ℥ x. , uſque ad centum ; Deinde cum methodo decreſcat, & per X. dies, & ultra potetur eadem aqua calida , addito vehiculo ſyrup. de Succo limo. , & primis diebus laudarem folia ſenæ ad detergenda uteri inquinamenta. Inſeſſus quoque parari poterunt ex aqua dul. Chalyb. , in qua decocta ſint fol. matricar. abſynthii , lactucæ , nuces Cupreſſi, radix Ariſtoloch. rotund. , malvæ , & ſimilium , & modicum vini rubri addi poterit. His peractis poſt menſtruas purgationes utatur ſingulo menſe raſura eboris cum modico vini . Laudatur quoque gentiana cum betonica pulve. vel ſemina urticæ in vino , vel diamarg. calid. , quæ identidem uſurpari poterunt ante cibum . Coitus ſit rarus, & poſt menſtruas purgationes opportunus erit . Victus tenuis ſit, quoad ſubſtantiam : unde & uſus Columborum ſylve-

ſtrium ,

ſtrium, & ſimilium uſurpetur; & cœna eo tempore, quo aquas aſsumet, parca ſit, ita ut ſolo pulmento ſit contenta, & raſura matris perlarum in cibo frequenter utatur. Quoniam autem generatio fœtus proportionem exigit inter principium activum, & paſſivum, ideo quædam erunt adminiſtranda ab Illuſtriſſimo D. Conjuge: quare conſulerem, ut debito tempore poſt levem corporis expurgationem factam fol. Caſs., & Sacchar. Roſat. ſero Capril. depur. uteretur, deinde Vill. aquam potaret exarata ſuperius methodo, & balneo aquæ dulcis uteretur, cavendo a frequenti concubitu, & ab uſu intenſe calidorum, & acrium, &c.

CONSILIUM XCI.

Arthritis.

ARthritide vexatur N. P. Quinquennium enim excurrit, quo primo dolor ſæviſſimus in pede ſiniſtro manifeſtatus eſt cum febre, & tumore, in quo temporis tractu fermentata materia circa malleolum tophus excitatus eſt, unde difficulter pedem elevare poteſt, & ad latera dimovere. Succeſſivis annis articularis dolor manus occupavit, & vaga arthritide reliqui artus divexati ſunt. Eo pariter tempore ex reflua tartarea materia calculi in renibus excitati acerrimo cum dolore excreti ſunt. Succedit autem arthritis, quotieſcumque tartarea materia una cum Sanguine ad artus delata ibidem præcipitata, & acido ſucco, aut viſcido ferruminata motum amittit, unde perioſtium vellicando, & articulorum ligamenta, ſolutionem, & exinde dolorem infert; Vitiata namque minima ſtructura, ſanguinis circulatio turbatur, unde congeſtio, tumor, & ex irritatione tandem febris. Accidit autem de facili circa articulos, ob arctam ipſorum compagem, & ob remotum humorum motum, unde de facili præcipitationes ſuccedere poſſunt. His accedit circa oſſa non parum luxuriare acidas particulas, quæ neceſſariæ ſunt pro oſſium fermentatione, & auctione eorundem. Reflua hæc materia ab articulis, ſanguinique mixta, & aqueo urinæ ſero aſſociata interdum turbatas reddit urinas: nunc vero ſubſidet, & quandoque in pelvi remorata, deficiente motu a volatilibus particulis armoniaca-

li-

libus impreſſo, concreſcit in lapillos, media ſuperficierum inoſculatione, vel ſaltem ſuccis acidis ferruminata. Fovet hanc morboſam affectionem Atavi labes, quæ relicto in ſemine charactere non ſolum articulorum compagem, & meatuum configurationem vitiavit, verum etiam fluida corporis in primæva generatione, unde fermenta viſcerum enervata a Parente relicta coctiones non perficiunt, nec excrementa ſecundum naturæ leges eliminantur. Probabile igitur eſt prima coctione non rite abſoluta, ſanguinem tartarea materia, & ſylveſtribus ſalibus prægnantem non rite volatilizari, & ſucceſſive tranſpirationem debita felicitate non ſubſequi, cum Nobilis Patiens ob cutis etiam denſitatem prævio motu vehementi non ſudet. Quapropter cum exarata inquinamenta non ſufficienter atterantur, nec volatilizentur, neceſſario in ambitu, & præcipue in articulis intercepta ſubſiſtunt, deinde abraſa, & iterum ſanguini mixta tandem per urinę vias partim eliminantur, partim Sanguini aſſociata morbi fomitem perpetuant. Hinc fermenta viſcerum, & glandularum, præſertim lympha ſua non gaudet energia, ſed de facili acorem concipit, unde Sanguinis volatilizatio nativa impeditur, & humoralis maſſæ cruditas perennat.

Indicationes itaque Medicæ occurrunt, depurandi Sanguinem ab exaratis recrementis, derivandi eadem per cutim, cum violentis diureticis incongrua per urinæ vias fit expulſio, ne ulterius lædantur Renes ab eorundem tranſitu, juvandi coctionem, & præcipue humorum volatilizationem, firmandi tonum, & compagem articulorum, & prohibendi novas congeſtiones, & ferruminationes. His indicationibus ſatisfacere perdifficile eſt, cum morboſa affectio fundetur in fermentis, & primordiis inquinatis, & in labefactata ſtructura, ex quo tophorum generatio ſuccedit; & licet circa vigeſimum primum annum tantum læſio manifeſtata ſit, perennis tamen fuit morboſæ cauſæ exiſtentia, unde aliis ſymptomatibus præcipue urinam turbantibus in tenella ætate ſuam vim ſenſim exercuit, donec ſeparata a mixtura reliquorum humorum, & intercepta in articulis latentem primo morbum articularem manifeſtavit, ut eleganter docet Sydenham in conſimilibus accidere. Ut autem mitiora reddantur ſymptomata, & periodicæ invaſiones rarius ſuccedant, remedia ſunt adminiſtranda. Pro ſolvenda alvo frequens tartari uſus conveniet, vel ſingulo mane infuſio ſenæ cum pilulis ex Aloe, aut Jalappa, ejuſque reſina. Vomitus a cibo poſt copioſum eſum pinguium, & craſſorum cibariorum laudabilis eſt; mucoſi enim humores acidis ſali-

 bus

bus prægnantes ita faciliter eliminantur. Pro alteratione, & depuratione humorum conveniet jus parvæ pullæ alteratum taraxaco, iva arthetica, & ſimilibus, cum quo aſſumat bolum paratum raſura eboris, & cranii humani, hiſque per menſem utatur. Deinde potet ſerum Caprile colatum una cum antimo. Diaphor., ut inquinamenta acida partim abſorbeantur, partim blanda tranſpiratione diſſipentur, donec occurrente opportunitate temporis aquam Nucerię aſſumat, qua ſylveſtres ſales eluantur, & urinæ viæ placide mundificentur, & tandem autumno poſt levem hypochondriorum expiationem lactis uſus conveniet; & primo uſurpandum erit lac aſininum per menſem, deinde vaccinum cum aquæ viol. quinta parte, vel tertia coctum. Interea cum cibo cruſtaceis utatur, & limatura C. C. cum pulmentis bulliat. Eandem pariter nodulo incluſam infundat in vino. In juſculo interdiu aſſumat gutt. aliquot ſpiri. Salis armoniac., vel Sal. dul. Circa localia præſente dolore conveniet oleum ex ſemi. lin. cum decoc. flor. ſambu., vel lixiv. ex ſarmentis vitis, cui miſceat ſapo. Venet., vel vitriolum alb. ſolut. in aqua Caulium. In acerbiſſimo dolore diſſolvantur Opii ℥ ii.; Camphoræ ℨ ſ. in aqu. vitæ ℥ iv. hoc tamen remedium raro, & cum cautione adminiſtretur, ne partis, & totius tonus debilitetur, & materia magis figatur. Pro roboranda autem parte vinacea convenient, vel fotus ex viſceribus animalium nuper mactatorum, vel urina pueri, vel aqua calcis, vel ſuffumigium, ſeu vapor exceptus a vino, & aqua, in qua bull. abſynth., artemiſ., iva arthetica, & ſimilia. Ex præcepto Cratonis pedes quam minime humectentur. vitentur pariter localia oleoſa, & unguenta: admitti poſſunt localia ex cæno bitumine, pauco nitro, & ſulphure conſtantia. Circa victus rationem Cratonis præceptum obſervetur, attendatur ſcilicet magis quantitas, quam qualitas, & cibus etiam ex ſua natura minus ſalubris ſi cum aviditate ſumatur, minus noxæ corpori afiert, quam ſaluberrimus appetitui noſtro repugnans; vitetur tamen varietas, & nimia repletio. Vinum ſit album, non acidum, aut auſterum. Ex Cratone cavendum eſt a carnibus excrementitiis, ut agnina, leporina, ſuilla, & avium in locis paludoſis degentium, a piſcibus, qui aqua maris carent, & in ſtagnis degunt, a caulibus, a leguminibus, ab acetoſis, & a vaporantibus eduliis abſtineat. Contuſa etiam, & conſumpta ex carnibus ademantur. Fraga, & ceraſa rubra, perſica, amygd. recent., & pepones concedi poterunt. Carnes facilis coctionis, tam elixæ, quam aſſæ convenient. Motu locali, prout permittitur, pro provocanda tranſpiratione exerceatur. Vacet a curis, &
va-

validioribus medicis auxiliis parce, & mature utatur, ſua ſorte contentus, &c.

CONSILIUM XCII.

Tumor Durus in dextera Mamma.

Notiſſima eſt affectio, qua N. P. tentatur: tumor enim durus, & cum dolore in dextera mamma obſervatur, cujus cauſæ, & generationis modus tam eleganter, & docte a P. V. exponuntur, ut ulteriorem non exigant indaginem. Gignuntur autem tumores in mammarum glandulis, quia affluens humor non eadem felicitate revehitur per venas, qua per arterias propellitur, quare fixatus in loculis tumorem excitat, & tractu temporis evolantibus volatilibus particulis acorem, deinde acredinem concipit, & inteſtinum motum, a quo continentes partes vellicantur, & apprime nervi irritantur, unde dolor. Et quia ex corruptiva fermentatione erodentes ſales acuuntur, & ad motum excitantur, hinc contiguæ partes lacerantur novis ſubcreſcentibus appendicibus, unde poſtremo dolor incurabilis, qui thoracis etiam ambientes partes invadit. Foventur autem hujuſmodi tumores vitio totius corporis, & præcipue uteri: inquinamenta namque acida, quæ in aliis viſceribus luxuriant, inter circulandum mammarum anguſtiis intercepta de facili figuntur, & ulteriore ſtatione acidiora, & acria evadunt. Juvant quoque hanc morboſam affectionem nativa Patientis temperies; & animi mæror, quo convulſis non parum nervis humores debito motu locali non gaudent, nec tranſpiratione convenienti depurantur, ſed de facili volatilibus depauperati particulis in tumorem congeruntur, & pravam, malignamque acquirunt naturam. Indicationes igitur manifeſtæ occurrunt, depurandi totam Sanguinis Maſſam, dulcificandi humores, ne ulteriore facta eroſione peſſima, & canceroſa ulterius ſerpat natura, parteſque thoracis internæ magis, magiſque corrumpantur, & exulcerentur. Pro his itaque aſſequendis varia proponuntur remedia a D. V. Et primo laudo indicatam venarum ſedalium aperitionem, quin ſi habitus plenior ſit, vena brachii ſecari poterit.

In pharmacia conveniunt flor. Caff. , Ol. amygd. dulci. ſ. igne extra., & conſimilia , quibus alvus leniatur , cavendo perpetuo a validioribus irritantibus . Pro alterantibus uſurpentur expoſiti ſyrup. de borag. cichor. , fumar. & ſimilium , vel eorum loco efficaciores erunt ſucci depur. , quibus addi poterunt guttæ aliquot tincturæ Chalyb. , vel ſaltem Cro. Mart. adſtring. , ut acidæ particulæ abſumantur , & ſanguis defæcacior reddatur . Hoc itaque remedii genere per menſem utatur, deinde uſurpet per XXXXX. dies Lac aſin. cujus diuturno uſu humores dulcificentur , & partes irritatæ demulceantur . Circa localia caute incedendum cenſeo : particulæ enim mineralium , & vegetabilium vegetiore motu pollentium fermentationem ichoroſi humoris augere poſſunt , & conſequenter novam ſolutionem, quare pars decoctione malvæ , & ſimil. tantum foveatur , vel ol. amygd. dul. ſ. ig. extract. ſit in Mort. plumb. agitato . Medulla quoque bovis in plumbeo mortario contuſa ex uſu ſit , ſicut pro vivificanda parte , & pro leniendo dolore conveniet caro cancr. fluvial. contuſa cum ſucco ſcrophulariæ , plantag. , & ſimilium . Cum cibo utatur ocul. cancro. , aut raſur. matriſperla. vel toto cancro calcinato . Caveat ab uſu vini , ſaltem eo tempore , quo aſininum lac aſſumet . Victus ſit mediocris , & Cibaria ſint facilis coctionis , cavendo ab acidis , ſalſis , & aromaticis , &c.

CONSILIUM XCIII.

Eryſipelas cum Febre .

Morborum ſemina a Parentibus decidua ſtato tempore in filiis manifeſtantur, & vegetant, ut evidenter in N. P. demonſtrat Hiſtoria a D. V. expoſita . Notiſſimus igitur morbus eſt , Eryſipelas ſcilicet diverſas invadens partes , vario tempore manifeſtatum . Gignitur morbus hic ex congeſtis ichoribus acidis in fluidis totius corporis , quæ a forti reliquarum particularum mixtione ſeparati , & præcipitati inter circulandum pororum cutis anguſtia intercipiuntur, ibidemque fixantur , nec per diaphoreſim eliminati occurrentem ſanguinem intercipiunt , & remorantur

in

in cutaneis interſtitiis, unde dolor ex acidarum particularum activitate, & figura ſuccedit; rubor ex coacervatis minimis ſanguinis atomis, & non raro facta ſeparatione ſeroſæ, & aquoſæ ſanguinis portionis, & ulteriore ejuſdem inſinuatione in reticulare corpus, & cuticulam, veſiculæ, & ulcuſcula excitantur ſanioſo ſero turgida. Et quia eodem tempore peccans materia non tota intercipitur in cute, ſed ſaltem ejus portio per venas revehitur ad viſcera, & vaſa magna; hinc eſt quod ſuſcitata fermentatione improportionata febrem gignit; quinimo laceſſitis viſcerum membranis, & nervorum finibus moleſtum ſenſum concitat, & non raro commixta cum peculiaribus glandularum fermentis præcipue ventriculi, quaſi interiore ſuſcitato eryſipelate, nauſeam, vomitum, reliquaque parit ſymptomata. Hæc eadem acida materia contumax, major tamen, & copioſior, ſcabiem olim germinavit: nam uterque morbus affinis eſt, & in hoc tantum diſcriminari videntur pene majorem, vel minorem volatilizationem materiæ, & congeſtionis modum; quapropter in ſcabie frequenter etiam obſervantur eryſipelata. Coacervantur hæc inquinamenta, quia fermenta viſcerum a Parentibus aliquo modo relicta enervata ſunt, ita ut debite humores non volatilizentur, vel ſaltem meatus glandularum, quibus renes, & cutis ditantur, tali pollent anguſtia, ut nativa, & neceſſaria humorum depuratio ſuccedere nequeat. Gallica enim lues non minus volatilizationem impedit, & fermenta inficit, acidaque reddit.

Indicationes itaque occurrunt, depurandi videlicet univerſam ſanguinis maſſam ab ichoribus acidis, ne congeſtiones, & eroſiones in toto corpore interius, & exterius fiant. Pro quibus aſſequendis laudo lenitionem alvi frequentem, factam ſaltem ſemel in hebdomada ℥. ſ. flor. Caſſ. cum æqual. portione pulpæ tamarind., vel ſaltem ſacchar. roſa., aut horum loco conſulerem ptiſanam hordeaceam paratam aqua, in qua infuſa ſint folia ſenæ cum liquirit. Alterantium loco jus conveniet Chalybeat. in quo decoquatur tarax. cum toto fol. abſynth., agrimon., bugl. ſcabioſæ, & ſimil., in quibus vigent alcalicæ particulæ; cui poſt aliquot dies addantur aliquot guttæ chalib., hoc remedii genere utatur, donec apparente vere alia adminiſtrari poſſint. Interim quoque vinum non ſolum Chalybe, ſed abſynthio alteretur, vel ſaltem ſi tranſpiratio facilis ſit, infundatur limat. C. C., Terra ſigillat. cum C. C. uſto, & una cum cibo ſæpe aſſumatur. Vere ſectio venæ in brach. adminiſtranda erit. Succis depuratis expoſitarum alKalicarum herbarum corrigendum.

dum erit humorum vitium, vel ſaltem horum loco aqua milleflorum ex bovino ſtercore deſtillata potanda erit per XXX. dies ad ℥ vi. ſingulo mane, & quoniam non parum in medicina facienda confert analogiſmus; cum Viperæ caro ejuſdemque decoctio ob volatilium fortaſſe particularum copiam acidum infringat in ſcabie, ideo in hac quoque affectione convenire cenſerem, ſi nihil aliud obſtet; diu tamen, & per menſes, ut notat Poterius exhibendum eſt hujuſmodi viperatum remedium, quo tempore etiam alvus expoſita ptiſana ſolvente 7. quoque die ſollicitanda venit. Deinde repetendus erit aquarum Lucenſ. hauſtus, balneumque aquæ dulcis conducet ad abluenda inquinamenta cutis, quibus cutaneus ſanguis vitiatur. Apparente eryſipelate ſi febris urgeat, & thorax, vel aliud principale viſcus afficiatur, venæ ſectio celebrari interdum poterit. Exterius autem, ſi dolor adſit, in principio foveatur panno madefacto decoct. ſambuci, & malvæ. Deinde aqua vitæ cum modico ſale prunel. quæ poſtremo camphorari poterit. Aqua quoque mille flor. ſuperius expoſita exterius adminiſtrari poterit. Sapo quoque Venetus albus diſſolutus in aqua Scabioſæ, vel ſambuci calide appoſitus opportunus erit. Helmontius utebatur linteo tincto ſanguine Leporino: & poſtremo urina puerorum ſalibus lixivioſis turgida foveri poterit. Circa victus rationem vitentur cibaria calida, aromatica, acria, & ſalſa. Vinum quoque generoſum, corporis, & animi motus, vitandus eſt. &c. Faxit Deus.

CONSILIUM XCIV.

Tumores ſtrumoſi; Ulcera; Maraſmus totius corporis.

EVidens eſt morbus, quo tentatur N. P. & eleganter cauſæ exponuntur. Ex pravo enim ſeminis morboſi charactere ſucci, & præcipue lympha ita proni ſunt ad concretionem, & ad excitandam eroſionem, ut nil mirum ſit, ſi tumores ſtrumoſi, & ulcera obſerventur, quibus maraſmus totius corporis ſuccedit; quin probabile eſt, interius etiam reliquas conglobatas glandulas eadem affectione

ne laborare. Hujus affectionis cauſæ, præter femineam labem, ſunt copioſa vitriolata inquinamenta, quæ non ſolum volatilizationem impediunt, verum fixationes, eroſiones, & abraſiones excitant. Pro quibus arcendis curatio prudenter inſtituta proponitur. Verum in hac diſponenda opus eſt præmeditatione: nam ſi corporis habitus fervet, primo Chalybeatis abſumendi eſſent ichores figentes, vel ſaltem uſu ſalſæ parillæ præparatæ, facta in aqua infuſione cum limatura C. C. ſuper cine. calid., ac fluvitandi eſſent humores, communicatis particulis volatilibus: deinde corpus lacte nutriendum foret: Quoniam tamen hæc longum, opportunumque exigunt tempus, ideo id, quod nunc magis urget, attendendum. Quapropter ſi impenſe urgeat corporis renutritio, & humectatio, lactis aſinini, deinde vaccini cocti uſus inſtituatur, & ſi tempus permittat, reliqua adminiſtrari poterunt. Unum innuam, quod ſi lactis exhibitio opportuna cenſeatur in eo bull. Cophè. Cæterum interdiu aſſumat tabellas parat. C. C. uſto raſura eboris, ocul. Cancr. & ſacchar. candito, & irrorentur ſpir. ſalis armoniaci. Bulliant in juſculis limaturam C. C., & in pulmentis rutam muralem. Pauca hæc habebam pro confirmatione eorum, quæ ab E. V. proponuntur. Faxit Deus.

CONSILIUM XCV.

Viſcerum obſtructiones, tumores muſculorum, ſcabies contumax, ventriculi languor, febris, &c.

Ex his, quæ in accurata Scheda habentur, patet, in N. P. copiam ſalium ſylveſtrium luxuriare, a qua viſcerum obſtructiones, & tumores, muſculorum, & ventriculi languor, ſcabies, febris, ac totius corporis aliqualis macies emerſere. Veriſimile enim eſt, ab hypochondriis, & a lymphaticis particulas acidas, & crudas ſanguini affundi: unde cum in pulmonibus ob morboſam ſtructuram non intime miſceantur, atterantur, & per tranſpiratum diſſipentur, exaltatæ in ſanguine ad ambitum corporis deductæ, & in

in muſculis fixatæ motum corporis progreſſivum vitiarunt ; & refluæ ad viſcera ſua ſtagnatione tumores in glandulis imi ventris manifeſtarunt , & tandem affuſæ ſanguini circulari motu in poris cutis, & milliaribus glandulis ejuſdem interceptæ ſcabiem contumacem effecere . Interim ex mixtura acidi ſalſi in ſanguine febris ſuborta eſt , & inquinato ſanguine facta abraſione a partibus , veluti ab aqua regia , ſucceſſit macies. Nunc a perennante eodem vitio in ſanguine , irritatis cerebri fibris , & meningibus , vigilia urget ; pulſus parvus obſervatur ob impeditam ſanguinis volatilizationem , & inefficaciam ſucci nervei ; urinæ quoque copioſæ fluunt ob colliquationem ab acidis ſalibus inductam ; ſudor pariter nocturnus eandem agnoſcit cauſam ; & tandem ſcabies contumax perſeverat : nam vitium in cute corrumpit appulſum ſanguinem , & majore inducta aciditate , eroſio partis , & pruritus augentur . Hanc morboſam labem fovet vitiata thoracis conformatio , qua expetita aeris quantitas non admittitur , nec debite ſanguis miſcetur , nec inutilia per expirationem eliminantur . Huic quoque contulere motus localis incongruus, animi pathemata , & ſimilia.

Indicationes itaque ſunt abſumendi acidas particulas , tollendi congeſtiones , irritationes , dulcificandi humores, ut tandem ſedata morboſa fermentatione corpus renutriatur. Pro quibus aſſequendis prudenter adminiſtrata ſunt remedia a D. V. , & alia exoptantur . Pro lenienda igitur alvo uſurpari poterit Ol. amygd. dulc. ſine igne extra. , flores pariter Caſſiæ cum Conſerva Violarum , & conſimilia ; Clyſter. ex ol. amygd. dulcium , ex aqua hordei vel jure alterato cum hordeo convenient ; Pro alteratione laudo ſerum Capril. colat. , in quo bulliat limatu. C. C. , & fumaria ; & poſt X. dies cum eodem ſero Caprili ex uſu fit jus Chalybeat. , alterat. fumar. bugloſ. , heder. terreſtri, & floribus tuſſilaginis , aſſumendo exaratum antimonium diaphoret., vel ſaltem gelat. C. C. per longum tempus . His peractis opportunus erit uſus decoct. Cancrorum fluvial. cum modico carnis vitulinæ, hord. decoct. ; hederæ terreſt., & lenticulæ paluſtris, cum quo aſſumat ℥ i. Cancri totius calcinati. Pro potu ordinario utatur decoct. C. C. flor. violar., herbæ Theæ , & ſeminum fæniculi . Balneum aquæ dulcis iterum repetatur , & aeris mutatio in contrarium , ſi cætera permittant , utilis erit , &c. Faxit Deus , &c.

CON-

CONSILIUM XCVI.

Curvatio vertebrarum interiora verſus.

SPinalis medullæ dignitatem divinus Plato adeo extollebat, ut ab ipſa animam cum corpore necti putaret. Senſus namque, motus, & fortaſſe nutritio, quibus animalium natura manifeſtatur, hujus ope celebrantur; hinc nil mirum, ſi impedito ipſius miniſterio ex vitiata compage, ſitu, & tono, diverſa morborum genera contigant, ut in N. P. obſervatur, in quo ſenſim labefactato locali motu tandem lumbarium vertebrarum curvatio interiora verſus emerſit. Probabile igitur eſt, totius corporis recrementa vertebrarum anguſtiis intercepta ipſarum minimos meatus labefactaſſe, earumque nutritionem, & figuram vitiaſſe. Vaſa namque Sanguinea per oſſium porulos circulationem non rite abſolvunt, & a muſculorum tendinibus, qui in oſſium naturam abſumuntur, & ferruminantur, non parum interdum ichoris communicatur: unde remorato humorum motu, & acida etiam inducta natura, alimenti ipſius qualitas, & diſpoſitio pervertitur: quapropter cartilaginoſa, molliorque vertebrarum portio, qua invicem nectuntur, verſus interiorem regionem morboſum ſortita incrementum deformata eſt, & ſpina ibidem quaſi tot ſuccreſcentibus cuneis incurvata eſt. Mutato interea ſitu, & compage continentium vertebrarum concluſa ſpinalis medulla neceſſario labefactata eſt. Nam ipſius fibræ, & nervorum faſciculi, qui in exortu ampliores ſunt, compreſſi, & diſtorti non feliciter admittunt tranſmiſſum a cerebri, & ſpinalis medullæ glandulis ſuccum, cum in cerebro non valida ſit, ac in corde propulſio, ſed ita languida, ut debili obſtaculo de facili impediatur; accedit etiam, aliquid communicari poſſe a congeſtione facta nervis proximis. Cum igitur nervorum rami a lumborum vertebris erumpentes nerveo ſucco debite non turgeant, in crurum præcipue muſculis nativam tenſionem excitare nequeunt, & fortaſſe ipſorum deficiente opera, propulſus ab arteriis ſanguis non admittitur, vel non rite diſponitur: unde motus, & qualitatis vitiatio. Fovent hanc affectionem glandularum fortaſſe vitia, quibus Sanguinis maſſa non repurgatur: un-

de acidarum præcipue particularum luxuriante copia acrior redditur ipſa maſſa, & prona ad excreſcentias.

Indicationes curativæ, vel ſaltem præſervativæ erunt, depurandi Sanguinem ab inquinamentis, ut felicior ipſius circulatio ſuccedat, neve congeſtiones, & morboſæ excreſcentiæ ſuccedant, & diſtorſiones in vertebris ſpinæ, a quibus totaliter blandus nervei ſucci motus per ſpinam, & appenſos nervos impediatur. Ut his ſatisfiat, curatio inſtitui debet. Et cum D. P. naturali lubricitate alvi gaudeat, ſufficient Clyſteres interdum injiciendi pro educendis mucoſis humoribus in primis viis ſtagnantibus. Quibus opportunum erit addere terebinth.. Pro purificando autem ſanguine, & pro tollendis ipſis ichoribus, qui intimius penetrantes intercipiuntur, laudarem uſum ſuccorum depuratorum, vel ſaltem in umbra concretorum plantag. cichor., bugloſ., conſolid., & ſimil., quibus tractu temporis addatur ℈ i. croci martis adſtring., eoſque ſingulo mane per menſem ſaltem aſſumat. Interdum cum cibo utatur cruſtaceis, & præcipue pulver. Oculo. cancror. cum C. C. uſto; vinum alteretur infuſione Chalybis. Et quoniam in dulcificando Sanguine, & tollenda ejuſdem colliquatione lac opem ferre videtur, ideo in autumno exhiberem lac vaccinum coctum cum aqua plantag. per XL. dies. Circa localia omnia fere ſuſpecta ſunt: volatilia enim alias adminiſtrata ſunt, adſtringentia non convenire omnino videntur, & quia figunt interceptas morboſas particulas. Quare cum vertebrarum interior portio probabiliter adaucta ſit nova ſubcreſcentia, quæ tolli non poteſt; videtur tolerabile quoque exterius conſimile augmentum, & ideo topica emollientia potius convenire, & ex ſambuco, althea, & ſimilibus parata, addita raſura C. C. Pauca hæc, &c. Faxit Deus.

CONSILIUM XCVII.

Febris lenta, & longa cum tenſione abdominis, & fames acutior circa ejuſdem adventum.

Febris, qua N. P. vexatur, ortum fortaſſe traxit, & adhuc conſervatur a recrementis in prima coctione genitis, vel ſaltem a viſceribus imi ventris eructatis; hæc autem

autem poſtremo affuſa ſanguini, & in vaſis congeſta, & exaltata fermentationem improportionatam excitant, turbando fluida, & nervos irritando. Perennat hæc febris, quia aciditas, quæ in morboſis particulis prævalet, ſeram recipit coctionem, cum præcipue turbata ſtructura partium in glandulis inferioris ventris humores ſtagnando ulterius aceſcant. Hoc totum videntur indicare tenſiones abdominis, & fames acutior circa febris adventum, vellicante acido ſucco nervos, & membranas ventriculum conſtringentes: & licet puſtulæ in utroque brachio manifeſtatæ a cauſa externa, videlicet a relicto in Chirotheca fomite ortum traxerint, acidorum tamen inquinamentorum copiam indicant, a quibus corrupta ſanguinis, & alimenti copia, exigui tumores cutim vitiantes fiunt: quare ſicut a febre non raro mineræ portio detruditur vigente natura in exteriores partes magis languidas, ita in hoc caſu ichores in partes congeſti, probabiliter venarum extremos fines per cutim diſperſos ſubingreſſi cauſam augere poſſunt. Febris hæc cum in Æquinoctio terminationem, nec mutationem ſit paſſa, probabiliter Cronica erit. Urinæ tamen proventus ipſam breviare poteſt. Conſulo igitur continuationem alterati juſculi urinam ſollicitantis, cui immiſcere poterit ſal abſynthii. At ſi ex hujus uſu febris non tollatur, utatur pulvere Chinæ chinæ per modum alterantis, exhibendo ℈. 1. ſingulo mane, vel alternis diebus cum jure pullæ alteraro radic. gram. malv., & ſimilium, vel foliis cichor., & abſynth., hocque remedii genus uſurparem ſaltem per XV. dies. Poſtremo, ſi omnibus incaſſum tentatis febris adhuc perſeveraret, pro auferenda cauſa laudarem uſum tincturæ chalyb. cum jure pullæ chalyb. alterato foli. cichor. abſynt. lapat., Centaur. mino., borag., & rad. gram., & malvæ. Hæc namque non ſolum a cauſa febris, verum a manuum affectione indicantur. Cum cibo cruſtaceis interdum utatur, juſcula, & fluida Chalybis igniti extinctione parentur. Cæterum ita prudenter, & exacte omnia adminiſtrata ſunt, ut ſuperfluum cenſeam aliud addere; Præcipue circa dietandi rationem, quæ in quantitate mediocris ſit in prandio, & ſola ptiſana hordeacea in cœna ſufficiat, &c.

CONSILIUM XCVIII.

Febbre con leſione negli Occhi.

PAre aſſai probabile, che avendo, come accenna V. E., la maſſa del Sangue concepito una colliquatione, e moto violento per una ſregolata fermentazione, ne ſia nata la febbre, la quale ha moſtrato varietà ne' periodi. Da queſta dunque ſi ſono fatti decubiti, particolarmente all' occhio, non ſolo alle glandule eſterne, d' onde ſono ſcaturite le lagrime, ma ancora internamente, eſſendoſi probabilmente aumentati gli umori, e reſi forſe men diafani, e per ciò toltante la dovuta diſtanza, e dilatata la pupilla, non è maraviglioſo ſe la Viſione reſtò offeſa. La Retina anch' eſſa dalle particelle eroſive, che eccitano la febbre, averà forſe tratta qualche leſione. Lo ſteſſo ſi può dubitare d' altre glandule interne, vedendoſi una fluſſione, e turgenza negli umori cagionata dalla copia di parti acide, che turbando le altre del Sangue eccitano queſto grande ſconcerto. Ciò ſi può confermare con l' oſſervazione della fluſſione, che preceſſe il male, e del ſudore nel principio de' ſintomi, che anno accompagnata la febbre, e dalla preſente turgenza delle emorroidi.

Le indicazioni adunque ſono di ſedare queſta improporzionata fermentazione, di levare i decubiti, di addolcire tutto il Sangue, e di corroborare le parti. Prima adunque d' ogni coſa la febbre ſi deve conſiderare, e perche già s' accoſta il fine della terza Settimana, e gli accidenti febbrili pajon rimeſſi, ſperarei, che doveſſe diminuirſi, onde ſi potrà dirigere la cura a prodotti. E fra tanto eſſendoſi minorata la maſſa del Sangue con le replicate miſſioni di Sangue, penſerei, che ſi poteſſe quietare, quando non ſucceſſe altra recrudeſcenza. Caſo che l' emorroidi ſi rendano più turgide, e non portino fuora Sangue, o ſieroſità, ſi potranno aprire. Circa poi i Veſcicanti doppo l' orecchie, io vi averei delle difficoltà: So, che ſono giovevoli, quando la fluſſione è eſterna, e fa infiammazione, coagulandoſi, e fiſſandoſi nella parte il Sangue; ma nel caſo noſtro, dove il maggior male è nella parte interna, cagionato da una colliquazione, o da un moto ſregolato, e la fluſſione ſi fa probabil-

mente

mente da' vaſi, che ſi propagaſſò dal Cervello col nervo Ottico, io dubiterei, che non giovaſſero, anzi più toſto poteſſero aumentare la cauſa morbifica, ed accreſere la dilatazione, e lacerazione. Mi ſervirei per tanto del ſiero di Vacca depurato, per purificare a poco a poco la Maſſa del Sangue, e per lenire l'acredine delle parti, e vi aggiugnerei un mezzo ſcrupolo di nitro purificato per maggior' energia; e col cibo, o poco avanti praticherei la gelatina di C. di C., per addolcire gli umori. E caſo proſeguiſſe l'affetto degli Occhi, dopo l'uſo del ſiero Vaccino, paſſerei a ſughi depurati di cicor., di borag., e di piantag., meſcolandovi ℈ i. di occhi di granchi, ovvero lo ſteſſo nitro purificato. Sarà anche bene, che prenda frequentemente l'emulſioni fatte co' ſemi di zucca, e di mandole, e col cibo la Terra ſigillata, ed il corallo roſſo polver., aſtenendoſi dal vino. Tutto ciò conſidero convenire, rimettendomi ſempre alla prudenza di chi aſſiſte alla Cura, &c.

CONSILIUM XCIX.

Febris cum tuſſi, & raucedine.

PAſſiones animi ea pollent energia, ut non raro corporis œconomiam labefactatis viſceribus evertant, ut in N. P. manifeſtatur. Veroſimile namque eſt, ex cauſis externis inducto mærore, cerebri fibras, & inde continuatos nervos contractione quadam laboraſſe: unde vaſorum ſanguineorum, & venæ cavæ præcipue extremitas coarctata retardavit ſanguinis motum, ex quo inteſtina pariter ejuſdem motio vitiata eſt, indeque acrium particularum felix tranſpiratio ita eſt labefactata, ut tota humorum maſſa acorem contrahere cœperit, & diſpoſitionem ad congeſtionem in pulmonibus, præcipue ob vaſorum, & meatuum anguſtiam, activitatemque vitiatæ lymphæ, quæ eidem ſanguini, & Chylo commiſcetur. Ex hoc itaque excitata eſt in Sanguine improportionata, & morboſa fermentatio, unde febris, quæ ſubminiſtrato a toto, media lympha, fermento febrili, vel ſatius in parte exaltato, alternis diebus exaſperabatur, & licet evaneſcere viſa ſit, relictum tamen in pulmonibus fermentum, & irritationem, adjuvante anni tempeſtate, præcipue circa æquinoctium, ſua adhuc manife-

ſeſtat ſymptomata. Totum hoc viſum eſt adumbrare Hippocr. de........ Eſt igitur probabile , ex cauſa externa , & ex ſuperveniente febre , aliqualem in pulmonibus , exiguam licet, congeſtionem , & fixationem factam fuiſſe , a qua febris manutenetur , tuſſis , & raucedo promoventur coctiones , & totius nutritio impeditur , & corpus , ſi fixationes adaugeantur , ad exaratos ab Hippo. morbos pronum redditur . Juvat hanc morboſam affectionem quædam labes relicta in ſemine a Parentibus ; qua humores de facili figuntur : unde in Religioſa Sorore Moniali fixatus Sanguis in capite , vel præcordiis ſubitam induxit Mortem , & in N. P. propulſus cum impetu in cerebrum Sanguis , nec pari felicitate revectus a venis , facta convulſione , diſrupit vaſa , indeque ſubita vitæ privatio . Peculiaris quoque N. P. diſpoſitio coadjuvat ; ex contumaci enim tuſſi , & perenni catarrho cruditas quædam , & eroſiva qualitas in ſero ſanguinis indicatur , quæ alias pulmonum tenellas tunicas vellicando laceſſivit , & veſtigia Sanguinis dedit . Vertigines quoque , licet momentaneæ fuerint , tranſeuntes ſaltem in capite interceptiones demonſtrant .

Indicationes igitur ſunt tollendi congeſtiones , & fixationem factam in pulmonibus , ne excitatis tuberculis ; vel eroſione , novi , funeſtique ſuccedant morbi , purificandi Sanguinis maſſam , & febrem extinguendi . Ut itaque his ſatisfaciamus , curatio jam incæpta protrahi debet . Et quoniam circa æquinoctium Cronici morbi mutationes recipiunt , ideo eſt videndum , quid poſtea remaneat , quid ulterius naturam urgeat , & medici auxilium expoſcat .

Laudo igitur pro tollenda febre , & inducenda humorum fluiditate , & pro leniendis pulmonibus uſum Seri colat., præcipue Caprili, quod ſingulo mane aſſumatur , vel Cochl. gelat. C. C., & interdiu utatur rotulis paratis ex ſacch. roſ. , & Stibio Diaph... Interea ſi febris urgeat , dummodo cætera conſentiant , ſectio venæ a manu adminiſtrari poterit . Tranſacta æquinoctii activitate in principio primi menſis , ſi æſtus febriles non urgeant , iterum repetatur lactis aſinini uſus , cui ſaccar. roſ. miſceatur : hocque utatur per menſem : deinde uſurpet Lac vacci. coctum cum aqua hordei , vel ſaltem in ipſo extinguantur ſilices igniti . Tunc abſtineat a vino , & ejus loco ex uſu ſit aqua , in qua decoquatur hordeum cum Cancris fluviatilibus contuſis . Cum cibo aſſumat pulverem Halii , vel ſaltem ſequentem ℞. Semi. papa. albi , gum. tragacant.. an. ℥ i. s. , ſemi. Alth. , Portula. , Melo. , Cucur. , Farinæ orobi an. ℥ ii. s. , Oculorum Cancro. , Corall. albo. , Liquerit. an. ℥ i. s. Sacchar. Penid. ad pondus omnium . M. Doſis ℥ i. cum cibo : & bis in die aſſumi poterit

Si.

Si lactis uſus non toleretur, ſupervenientibus ſymptomatibus, tunc laudo jus pullæ, vel carnis vitulinæ, in quo decoquantur cancrorum fluvi. caudæ, hedera terreſtris, pimpinella, tuſſilago, lenticula paluſtr., & hordeum decorticatum, cum quo aſſumat ℈ i. cancri calcinati, & ℈ i. s. ſtibii diaphoretici, & hoc ad longum tempus. Circa victus rationem, tenuis inſtituatur; frequenter ptiſana, vel emulſionibus ex amyd. dulc. utatur, & urgente fluxione, & tuſſi addat ſemina cucurbitæ, & interdum modicam portionem ſemi. papa. albi. Vitet aerem auſtrinum, & borealem, & hilare vivat abſque curis animi, & corporis. Pauca hæc, &c. Faxit Deus.

CONSILIUM C.

Febris contumax ſævis ſtipata ſymptomatibus.

Contumax febris ſævis ſtipata ſymptomatibus, quæ longo tempore in N. P. obſervata ſunt, ortum habet ab inquinamentis primi ventris, ex corruptis ſcilicet fermentis glandularum, quæ acorem, & aciditatem contraxere; hæc enim mixta chylo ſanguinem inficiunt, & excitata ſtato tempore in fluidis improportionata fermentatione febrem gignunt, vellicatiſque nervis ſymptomata hyſterica manifeſtant. Succedit autem difficilis incaleſcentia, quia ab acidis, & vitriolatis particulis volatilium motus impeditur. Commota tandem materia, & exaratis, actiſque in motum hujuſmodi particulis viſcera irritantur, & nervorum extremi fines vellicantur, unde internæ convulſiones, & ſpaſmodici motus, a quibus cordis, ventriculi turbatio, & lacrymæ involuntariæ. Eadem quoque cauſa urinarum copia ſuccedit: nam a particulis acidis colliquatur humorum maſſa: inde colluvies aquoſa. Deſtillatio quoque continua ſubſequitur, tam a capite delabente ſeroſitate, quam ab ichoribus, colliquatione media, a pulmonum poris in tracheam irruentibus, qui cum non acquirant pepaſmum, per ſputum non eliminantur. Senſus quoque ebullitionis in liene manifeſtatus eandem agnoſcit cauſam; miſcella enim, quæ in lienis ſinibus ſuccedit ex copioſorum acidorum cum alcalicis mixtura inteſtinam vehementem ſuſcitat motionem. Hanc labem produxere animi pathemata, nam convulſis ner-

nervis vaſorum tubuli aliqualiter anguſtantur , unde remoto Sanguinis motu humores aceſcunt , & inutilium excretio , & tandem tranſpiratio intercipitur . Auxit quoque morbum menſtruorum ſuppreſſio ; hæc namque , non ſolum ut ſignum abunde demonſtrat irritationem acidæ materiæ in uteri meatibus , verumetiam cauſa refluente ab utero ſanguine in totum , contracto acore , majori cum uſura labem fluidis communicavit . Vita quoque ſedentaria impedita tranſpiratione cacochymiam multiplicavit : unde ex his omnibus patet vitiata prima coctione media fermentorum corruptione imi ventris Sanguinis maſſam infici , & viſcera quoque peculiaribus ſuccedentibus ſymptomatibus , & nervorum irritationibus labefactari : hinc non mirum ſi excedentes , & morboſæ fermentationes perpetuantur , ſævis emergentibus accidentibus .

Indicationes itaque ſunt , tollendi inquinamenta acida , & ſucceſſive fermentationem , & irritationem , firmandi viſcerum fermenta , & auferendi congeſtiones . Curatio itaque inſtituatur , & pro lenienda alvo ex uſu ſit Caſſia cum pulpa tamarind. , vel cremo. tartari cum ſero Vacci. , & frequenter repeti poterunt , ſi tolerentur . Clyſteres pariter injicientur parati lacte , & vino Chalyb. , vel ol. amygd. dul. cum decoct. emollien. cui addatur mel. viol. Deinde per multos dies præſcribatur ſerum Capril. alteratum abſynthio . At ſi renuat ſerum Capril. , exhibeatur jus pullæ Chalyb. alteratum foliis Cichor. pimpinel. abſynthii , radic. fœniculi , & ſimil. , cui addat poſt XII. dies tincturam Chalyb. , vel aliud materiale : hiſque utatur XX. diebus , quibus tranſactis uſurpet antimo. diaphor. cum expoſito alterante , quo utatur per longum tempus . Interea bulliat in pulmentis , & juſculis raſuram C. C. Interdiu , vel ante cibum utatur rotulis paratis cum ocul. Cancr. , C. C. uſto , raſur. matriſperlar. nitro purificato , & gutt. aliquot ſpir. ſal. armo. In vino per breve tempus infundatur abſynthii coma . Omnia fluida extinctione igniti ſilicis præparentur . Condiat jura , & carnes abſynthii Sale . Circa localia , hypochondrium ſiniſtrum foveatur aqua fabr. , in qua folia Camomil. , malvæ , & bugl. , rad. grami. , & malvæ coquantur . Deinde extractum ex ammoni. , & galb. diſſolutum in aceto apponatur , vel . Emplaſtrum ex Nicotiana . Circa diætam victus ratio vergat ad tenuitatem , quo ad quantitatem , & qualitatem . Emulſionibus paratis amygd. dulcib. , & ſeminibus aurant. frequenter utatur , &c.

F I N I S.